IO. IACOBI MASCOVII
COMMENTARII
DE
REBVS IMPERII
ROMANO-GERMANICI
A
CONRADO PRIMO
VSQVE AD OBITVM
HENRICI TERTII.

LIPSIAE
APVD IACOBVM SCHVSTER
MDCCXXXXI.

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO
CHRISTIANO

REGIO POLONIAE ET MAGNI
DVCATVS LITHVANIAE
PRINCIPI
DVCI SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE,
MONTIVM, ANGRIAE ET WESTPHALIAE,
ELECTORATVS SAXONICI PRINCIPI
HEREDI
LANDGRAVIO THVRINGIAE, MARCHIONI
MISNIAE, ET SVPERIORIS INFERIORISQVE LVSATIAE
COMITI PRINCIPALI HENNEBERGICO, COMITI MARCAE, RAVENSBERGAE, BARBYAE ET HANOVIAE, DYNASTAE IN
RAVENSTEIN ETC.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS
REGIE
DOMINE CLEMENTISSIME

C elsissimum nomen TVVM hisce de Rebus Imperii Romano-Germanici Commentariis, inscribere sustinui, vt hanc velut aram in Patria consecrarem Benignissimo in literas & bonas artes Genio TVO, quem in peregrinatione TVA Italica cultissimae ciuitates suspexerunt, quemque nuper Lipsia mirata est, cum eam primum vna cum Serenissimo Fratre, Francisco Xauerio, optatissimo aduentu TVO

beares, cumque Bibliothecas eius, & Musea, Literasque ipsas & Studia hominum praesentia TVA mirifice exhilarares. Animum etiam ab argumento sumsi. Continentur enim hoc volumine res a Saxonicis Imperatoribus praeclare gestae, in qua gente praecipuum principatum haereditario Iure tenet Serenissima Domus VESTRA, & nunc Vicarium quoque Imperium POTENTISSIMVS REX, PATER TVVS, exercet. Inter eas, reperies etiam fata regionum, quas Saxonica Domus auita Potestate complectitur, totumque hunc Saxoniae limitem, Misniamque & Lusatiam compleri nouis coloniis, excoli legibus, & Christiana doctrina illustrari videbis, & praeclara simul agnosces Marchionum Thuringiae, Misniae, Lusatiae, Maiorum TVORVM, in Imperium, Saxoniamque suam, merita. Praeterea Germanicis Annalibus plurium vicino-

rum

rum populorum Historia innectitur, inprimis Poloniae, quam auito iam, paternoque nunc sceptro laetantem, velut alteram Patriam merito respicis. Ita inter Ottonum & Henricorum monimenta Polonicas res, constitutas sub Micislao, Regia dignitate exornatas sub Boleslao, instauratas, confirmatasque sub Casimiro inuenies. Multa illo aeuo, quod hic suscepi illustrandum, occurrunt, siue Religionem, siue Reipublicae administrationem, siue arma denique spectes, eximia virtutum documenta. Doctrinae & scientiis etiam honos fuit. Sed haec tamen literarum lux recentiori aetati plenior affulsit, & nunc inprimis in REGIA CELSITVDINE TVA Musae spem maximam ponunt. Iustis illae laudibus celebrant excelsam indolem, placidamque ingenii vim, cum Caesarum & Regum, a quibus Paternum TIBI Maternumque genus est, sanguine propagatam, felici-

licique cura & ductu Excellentissimi Comitis Wackerbarthii ita excultam, vt disciplinas artesque liberales non foueas modo gratiosissime, sed etiam intelligas, tractesque feliciter. Faxit DEVS O. M. vt ex REGIAE CELSITVDINIS TVAE decoribus, auspicato AVGVSTISSIMI PATRIS Regno, maximum ornamentum, Patriaeque praesidium accedat certissimum.

REGIAE CELSITVDINI TVAE

Lipsiae, VIII. Idus Octobris cIↃIↃCCXLI.

deuotissimus

IO. IACOBVS MASCOV.

PRAEFATIO.

Veteres Germanorum res vernaculo ſermone ſcribere aggreſſus, XVI. libris, ad illa tempora, quibus Francorum Regnum ad Carolingos delatum eſt, perduxi. His vbi ipſa Carolingorum Hiſtoria, quae noui voluminis materies eſt, acceſſerit, omnis, vti ſpero, Germaniae vetuſtas ſibi conſtabit. Interea medii aevi hiſtoriam delibare viſum eſt: quo nomine deſignari ſolet vniuerſum illud temporum ſpatium, quod a Principatu Conradi, qui primus poſt extinctam in Germania Carolingorum Domum, ad regnum euectus eſt, ad exceſſum vſque Sigismundi Imperatoris porrigitur. Ab eo enim tempore, ſub continuo per tria ſecula Auſtriacorum Principatu, Imperium, vti Europa omnis, nouam veluti faciem accepit, deditque Hiſtoriae.

Res autem medii aeui magnis inuolutae ſunt tenebris, praecipua quidem vetuſtatis, ſed aliqua tamen & ſcribentium culpa: qui nec in delectu rerum, nec in temporum Ordine ſeruando, quod eſt clariſſimum Hiſtoriae lumen, curae ſatis poſuerunt. Sed hic non tam reprehendere aliorum conatus, quam noſtri rationem reddere propoſui. Praecipuum conſilium fuit, deligere, atque apte componere, quae ad vniuerſi Imperii ſtatum, et conuerſiones pertinerent, atque illum Hiſtoriae, vt ita dicam, torrentem, incertis vadis euagatum, intra ripas alueumque ſuum coërcere. Tum veritatem, Hiſtorici finem, aſſequi ſummopere ſtudui, nihil incertis coniecturis tribuens, Scriptorum aequalium, & probatorum diplomatum teſtimoniis vnice inſiſtens.

Non ſuſtinui ſplendidum Hiſtoriae titulum Operi inſcribere. Quippe nec ad Hiſtoriam plene atque ornate ſcribendam, materiem praebent res tam diſperſae, tamque tenuiter plerumque ab Auctoribus traditae. Nec Hiſtorico vti Poëtae datum eſt, vt quae

Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquat;

Quin etiam per abrupta, & ſqualentia loca proſequi rerum geſtarum ſeriem oportet. Audendum tamen erat

ali-

aliquid vltra Annalium ſiccitatem, vt non euentus modo, ſed cauſae quoque euentuum, & conſilia, ac hominum per quos res quaelibet acta fuit, ingenia, clarius paterent. Sic enim demum ſeculi cuiusuis genius, & conuerſiones rerum, per quas ad praeſentem Respublica formam, ſtatumque peruenit, cognoſci certius poterunt. Itaque Commentarios appellare viſum eſt, quod nomen illud & formae operis, & dictioni melius conueniret.

Exorſus a regno Conradi I. ad obitum Henrici III. hoc eſt, ad Annum MLVI. ſubſtiti. In hac Hiſtoriae Parte Imperium Romano-Germanicum praecipue ſe attollit: Germaniaeque hoc, ſiue vt tum vocabatur, Franciae Orientalis Regnum, aſſerta Italia, Burgundiaque, & ſub Henrico III. Hungaria quoque, proxime ad Caroli M. potentiam accedit. Equidem virtus hominum illius aetatis, tota in manu ſita, atque ad cupiditates ferro perſequendas, vnice comparata videri poſſet; Verum haud minus eos ſolertia conſilioque valuiſſe deprehendes, ſi negotioſum illum Regum Principatum, illam in omnium Ordinum Proceribus pro communi Republica contentionem, quibus praecipue rebus ad eam amplitudinem prouecta fuit, reſpicias. Mitigabat inprimis ingeniorum

 aſperi-

aſperitatem religio: quam tanto ſtudio Germani late per populos protulerunt, vt dubitare poſſis, maiorane hiſce temporibus Eccleſiae, an Imperii decora fuerint?

Dum vniuerſi Imperii res perſequor, ſimul ſingularum regionum Germaniae atque Italiae fata, ſucceſſiones Ducum, clariſſimarumque familiarum origines inno- teſcunt, & incrementa. Praeſertim Saxoniae noſtrae haec cura debebatur, vt Ducum eius, & Marchionum, rerumque bello aut pace praeclare geſtarum memoriae conſuleretur. Neque contentus indicaſſe Auctores, quos ſecutus ſum, ſaepius loca ipſa, quorum fide narratio noſtra nititur, addidi, quando nempe in illa Scriptorum incerta varietate, & fluctuatione, teſtes ipſos audire conſentaneum eſt, aut loca ipſa priſci moris veſtigia quaedam, vel alias inſuper memorabiles circumſtantias continent. Occurrebant etiam nonnulla diligentius excutienda, vbi modo comparare inter ſe veteres Scriptores, modo confirmare ſententiam noſtram, aut illuſtrare pluribus teſtimoniis opus erat. Haſce vberiores annotationes, quod longiores eſſent, quam quae ſubiici paginis poſſent, in finem operis ſeruaui, & proxime fortaſſis, vna cum vitis ſequentium aliquot Imperatorum dabo.

COM-

COMMENTARIORVM
DE REBVS IMPERII ROMANO-GERMANICI.
LIBER I.

CONRADVS I.

Immatura Ludouici Regis mors vehementer turbauit Germanicam Rem, iam per ſe affli-ctam Hunnorum incurſionibus, & proce-rum diſſidiis. Cum illo Caroli M. ſtirps in Francia Orientali deſiit. Supererat ex ea domo, apud Fran-cos Occidentales, Carolus Rex, Ludouici Balbi filius. Sed nec ingenio valebat, nec armis, & ipſe maxime tum Nor-mannos infeſtos habebat. Germania vero egregii animi Principem, qui praeſens aſſereret Rempublicam, poſcebat. Conradus Rex eligitur.

 Ele-

CONRADVS I.

Electus itaque eſt, An. DCCCCXI. Conradus,[1] Francorum Dux,[2] e nobiliſſima domo Comitum Francicorum, qui cum Dynaſtis Bambergenſibus bella, ſub Ludouici regno, geſſerunt: ipſe ſpectata iam fortitudine in armis, nec minus prudentiae, & conſilii laude clarus.[3] Magna tum erat auctoritate apud Germanos Otto, Saxoniae Dux, tam ob affinitatem cum Carolingis, (ſiquidem Hatwigin, Ludouici Pii neptem, in matrimonio habebat) quam quod inſigni apud Imperatorem Arnulphum, & filium eius, Ludouicum, gratia floruerat. Illi oblatum initio Regnum ſcribit Vitichindus:[4] verum excuſaſſe aetatem, in ſenium vergentem, & Conradum commendaſſe. Conradus quidem Regnum maiori animo ſuſcepit, quam ſucceſſu. Eximiae quantumuis virtutes eius in tam calamitoſa inciderunt tempora, vt nec ſibi ſatisfecerit, nec Reipublicae.

Ottonis, Saxoniae Ducis, elogium.

II. Lotharingi rebus nouis ſtudent.

Initio ſtatim maior Lotharingorum pars Imperium eius detrectant, impellente praecipue Raynerio Duce, qui magis ad Caroli partes inclinabat. Scilicet Caroli res, hoc circiter tempore, melius ſe habere incipiebant, ſancita cum Normannis, qui Galliam infeſtauerant, pace. † In has vero

† An. 912.

§. I. 1) HERMANNVS CONTRACTVS ad An. 912. *Conradus, filius Conradi, Rex electus, & vnctus, regnauit annis ſeptem.*

2) Ducem vocat Ludouicus Rex in Dipl. de An. 910. apud ECCARD. Rer. Franc. Orient. T. II. p. 824. Hoc etiam titulo Conradum deſignat Vitichindus, in loco quem not. 4. dabimus.

3) VITICHINDO dicitur: *Vir fortis, & potens, domi & militia optimus, largitate ſerenus, omnium virtutum inſigniis clarus.* Appoſite LVITPRANDVS Lib. II. cap. 7. *Niſi pallida mors -- Conradum Regem citiſſime raperet, is eſſet, cuius nomen multis mundi nationibus imperaret.*

4) VITICHINDVS Lib. I. p. 634. *Regi Ludouico non erat filius, omnisque populus Francorum atque Saxonum quaerebat Ottoni diadema imponere Regni. Ipſe vero, quaſi iam grauior, recuſabat Imperii onus: eius tamen conſultu, Conradus, quondam* DVX FRANCORVM, *vngitur in Regem. Penes Ottonem tamen ſummum ſemper et vbique vigebat imperium.* DITMARVS p. 325. *Otto ab omnibus Regni Principibus in Regem electus, Conradum ſibi, tanquam ad hoc indigno,*

CONRADVS I.

ro praecipue conditiones conuenerat, vt Dux illorum, Rollo, Chriſtianorum ſacris initiaretur, & cum filia Regis, Giſila, Armoricam in feudum acciperet; quae regio deinde a nouis colonis Normanniae nomen traxit. Ita cum ex hoſtibus ciues feciſſet Carolus, validius iam ſollicitabat Lotharingos.[1] Praeterea Germaniam Hunni, vetus hoſtis, miſere affligunt, per Bauariam in Sueuiam diffuſi.† Cum autem onuſti praeda patriam repeterent, grauem a Bauaris, & Sueuis, ad Oenum fluuium, cladem paſſi ſunt.[2]† Bauaros Arnulphus ducebat,[3] Luitpoldi, qui ſub Ludouico Rege, in praelio aduerſus eundem hoſtem oppetiit, filius. Sueuis fortiſſimi Comites, Erchangerus, Bertholdus, & Vldaricus[4] praeerant. Scilicet Ducem tum Sueuia non habebat, occiſo nuper in ciuili motu Burchardo.[5] Et Erchangerus quidem, dum Ducatum immoderatius ambit, Regem ipſum aduerſum habuit. Hoc tamen anno pax ſancita eſt, eamque Conradus affinitate etiam firmauit, ducta in matrimonium ſorore eius, Cunegundi, vidua Luitpoldi Ducis.[6]

Hunni a Sueuis et Bauaris caeſi.
† A. 912.

† An. 913.

Conradus Sueuiae motus componit.

A 2 Anno

praepoſuit, ſeque cum filiis fidei ſuae ac poteſtati ſubdiderat.

§. II. 1) Iam ab A. 913. Carolus in diplomatibus ſuis computat annos *a largiore hereditate indepta:* vti obſeruat ECCARDVS Hiſt. Franc. Orient. T. II. p. 844.

2) HERMANNVS ad An. 912. *Vngarii Boioariam petentes, congregatis Boioariorum, & Alemannorum copiis, iuxta fluuium Ine congreſſi, magna ſtrage profligantur.* CHRON. S. GALLI (apud DV CHESNE. T. III.) ad An. 913. *Vngri in Alamanniam: quibus per Bauariam redeuntibus, Arnulphus, filius Liupoldi, & Erchanger cum Peratholdo, & Adalrico cum eis pugnauerunt, & eos ſuperarunt.* Item HEPIDANVS ad An. 913. *Erchanger, Bertholt, frater eius, & Vodalrichus Comes, auxiliante illis nepote illorum, Arnulpho, optimo Duce Boioariorum, totum exercitum Agarenorum, iuxta Ine fluuium, penitus occiderunt.*

3) AVENTINVM, qui Arnulphum ab initio regnum affectaſſe ſcribit, deſtitutus veterum auctoritate, iam alii refutarunt. Conf. ADLZREITERVS Annal. Boic. Part. I. Lib. 13. n. 18.

4) Vldaricum hunc Turgouiae Comitem nominat STVMPFFIVS; in Chron. Heluet.

5) HERMANNVS ad An. 912. *Burchardus, Dux Alamanniae, in conuentu ſuo, orto tumultu occiſus eſt, pro quo Erchanger Ducatum inuaſit.*

6) CHRON. S. GALLI, ad

CONRADVS I.

III.

Conradus Lotharingos frustra tentat.

Anno quidem DCCCCXII. & XIII. Conradus in Lotharingos mouet, armisque reducere illos ad officium parat.[1] Sed rem parum prospere gessit. Sueuia quoque nouis concussa est motibus, propter graues Erchangeri & Bertholdi, cum Praesule Constantiensi inimicitias. Erat is Salomo III. Cancellarius Regis, Vir eruditus,[2] vt illa ferebant tempora, &praeter Episcopatum, Abbatiam quoque S. Galli tenebat. Cumque in Palatio tam muneris auctoritate, quam vetere gratia plurimum posset, facile, quae vellet, praedia & vectigalia impetrabat a Rege. Inde crebrae de possessione, & finibus regundis, cum hisce fratribus rixae.[3] Nunc autem adeo manus iniecerant Episcopo, † & captiuum in castrum suum, Dippoldiuillam, abduxerant. [4] Vlturus iniuriam Rex, in Sueuiam aduersus Erchangerum mouet, captumque in exilium mittit. Sed ille mox reuertitur, alibi distento Rege, armisque & aperta iam vi Ducatum ipsius prouin-

Noui per Sueuiam motus.

† An. 914.

An. 913. *Discordia coepta inter Regem, & Erchangerum.* Et post pauca: *Ipso anno Erchanger cum Rege pacificatus est, cuius sororem, Luitpoldi relictam, Rex quasi pacis obsidem, in matrimonium accipit.*

§. III. 1) CHRON. S. GALLI ad An. 9 2. *Ipso anno Francos, qui dicuntur Lotharingi, hostiliter inuasit.* IBIDEM, ad An. 913. *Conradus cum exercitu regnum Lotharingorum ingressus est.*

2) De illo inter alia EKKIHARDVS de Cas. S. Galli p. 49. *Metro primus, & coram Regibus plerumque pro ludicro cum aliis certator. Dicendi, praeter quod naturalis ei commoditas inerat, artifex erat. In Palatinis, & Synodicis aeque valens Conciliis.* Poemata quaedam Salomonis huius Episcopi reperiuntur in Bibl. Patr. Max. T. XVI. Habemus quoque Glossas ab illo collectas.

3) CHRON. S. GALLI ad An. 914. Erchangeri & Bertholdi rixas cum Salomone Episcopo prolixius narrat EKKEHARDVS p. 43. *Inuadit loca lege* ALAMANNICA, *cum Aduocato Episcopus, tribus diebus, vti ius erat, homines fisci iuramentis S. Othmaro vindicantes. Quibus custodes castelli, nisi sibi parcant, male habituros minantur, minasque factis exequuntur. Nam victimas, & caetera quae libebat, sponte nolentibus dare fiscalibus, vi quidem auferebant. Quod cum Aduocatus cum per se, tum verbis Salomonis, fratribus illis* (sc. Erchangero & Bertholdo,) *non semel quereretur, aut ficta verba aut iniuriosa passus, recessit.*

4) Captiuitatem Salomonis ad An. 914. praeter HERMANNVM, notat CHRONICON S. GALLI.

vinciae, ad ſe rapit.[5] Turbato Francici Regni ſtatu, audaciores facti ſunt Hunni. Pars per Thuringiam progreſſi, Fuldam † vsque peruenerunt.[6] Pars Alemannia vaſtata, Baſileam vrbem diripiunt,[7] ac per Alſatos in Lotharingiam † excurrunt.

CONRADVS I.

Incurſiones Hunnorum.

† An. 915.

† An. 917.

IV.

Bellum inter Conradum Regem, & Henricum, Saxoniae Ducem.

Anno DCCCCXII. obiit Otto, Saxoniae Dux,* & Gandersheimi, quod Coenobium ipſe fundauerat, ſepultus eſt. Filium reliquit Henricum, clarum iam bello aduerſus vicinos Slauos, praeſertim Dalemincios, fortiter geſto. Nolebat Conradus Ducatum, & quicquid praeterea pater, beneficio Regum, tenuerat, filio concedere. Neque enim ad vim & dignitatem Principatus conducere videbatur, aemulam Regiae potentiam in eadem domo continuari. Henricus autem, fretus popularium ſtudiis vel inuito Rege, cuncta paternae ditionis retinet, ac quos Nobilium Regi addictiores repererit, expellit. Inde bellum varia fortuna geſtum eſt. Eberhardus, frater Regis, Marchio Franciae Orientalis, a Saxonibus ad Eresburgum funditur. Rex ipſe Ducem fruſtra obſidet Grunae, quod fuit caſtrum ad Grunaham amnem, qui in Leinam influit, haud procul a ciuitate Goettinga. Henricus adeo Caroli, Regis Neuſtriae, opem videtur ſolicitaſſe, cum Aquisgrani ſolemne Paſchale celebrantem, An. DCCCCXVII. inuiſeret. †

† v. not. in f.

V.

Concilium Althemenſe.

An. DCCCCXVI. conuentus Epiſcoporum ex vniuerſa Germania, habitus eſt Althemii, praeſidente Legato Iohannis X. Papae, Epiſcopo Hortenſi. Prae-

5) CHR. S. GALL. ad An. 915.

6) LAMBERTVS ad A. 915. *Vngari vaſtando venerunt vsque in Fuldam.*

7) HERMANNVS ad An. 917. *Vngarii peruaſa, vt coeperant, Alemannia, Baſileam deſtruunt, indeque Alſatia vaſtata, Lotharii regnum, inuadunt.*

§. IV. *) Conf. ECCARDVS de Reb. Franc. Orient. T. II. p. 834.

CONRADVS I.

cipua circa disciplinam & vindicandam securitatem Ecclesiasticam cura. Plurima quae huc aduerterent Praesulum solicitudinem contigerant. Praeter captiuitatem Salomonis Episcopi, Einhardus Spirensis excoecatus ab aduersariis, & caedes Otberti Argentoratensis, in recenti memoria erant. Episcopis Saxonicis, qui ad Synodum non venerant, nec procuratores miserant, imperatum est adesse Moguntiae in Concilio, quod Herigerus Archiepiscopus, ad mensem Maium anni sequentis, indixerat.† Eodem anno iudicio Principum Erchangerus & Bertholdus, vna cum Luitfrido, sororis filio, capitis damnati sunt: bona illorum fisco adiudicata.* Sueuiae autem, ex sententia Procerum suorum, Dux datus est Burchardus II. eique Rex praedia Erchangeri & Bertholdi, quae modo ad fiscum redegerat, beneficium concessit. †

† v. not. in f.

Burchardus II. fit Sueuiae Dux.

† Ibid.

VI.

Lotharingi Carolo se dedunt.

Interea fruitur Lotharingorum obsequiis Carolus Rex: [1] etiam qui fluctuauerant aliquandiu Proceres, ad eum se conuertunt, nouis illecti beneficiis, aut territi metu amittendorum, quae habebant. Memoratur inprimis solennis Curia, quam A. DCCCCXVII. Aquisgrani diebus festis Paschatos habuit. Hoc circiter tempore, obiit Raynerius Dux [2], relictis filiis duobus, quorum magna in Lotharingiae rebus celebritas fuit. Gisilbertus Ducatum patris obtinuit. A Raynerio Longicollo Comites Montis in Hannonia, &

§. V. * In Althemensi concilio factum vulgo traditur. Nec tamen alium rei veterem Auctorem habemus, cum integra Concilii acta interciderint, quam EKKEHARDVM, qui l. c. p. 45. de Conrado Rege scribit: *Consilio dehinc habito, primo colloquium publicum Moguntiae, postea generale edixit Concilium, vbi tribus illis, lege abiuratis & proscriptis, praediisque eorum in fiscum redactis, maiestatis reis capita damnata sunt.*

§. VI. 1) SIGEB. GEMBLAC. ad An. 916. *Carolus Rex Francorum, Lotharingos recepit.*

2) Obitum eius ad A. 916. refert EC.

& Louanii in pago Brabantino, progeniti ſunt. Pauci ex Lotharingis, Alſati inprimis, & Epiſcopus Vltraiectinus, manſerunt in fide Conradi.[3] CONRADVS I.

VII.

Pax inter Conradum Regem, & Henricum.

Ipſum vero ciuilia bella, Saxonicum, & mox Bauaricum quoque, in Germania cis Rhenum plerumque detinebant. Cum Saxoniae quidem Duce pax facta eſt, † hac lege, vt, quae Pater beneficio Regis habuerat, Henricus quoque obtineret. Aduerſus Bauariae Ducem, An. DCCCCXVII. cum exercitu profectus eſt: atque tum Arnulphus ad vicinos Hunnos confugit.[1] Sequente anno DCCCCXVIII. obiit Conradus, in oppido ſuo, Vilinaburgo, quod Veilburgum, Naſſouicae nunc ditionis oppidum, eſſe putant. Sepultus eſt Fuldae,[2] cuius coenobii aduocatus ante Regnum fuerat. Cum iam decumberet, hortatus eſt Principes, qui in comitatu erant, vt Henricum, Saxoniae Ducem, Regem poſt ſe eligerent, parem aſſerendo Regno, ideoque magis neceſſarium. Fratri maxime Eberhardo, vt ipſe inſignia Regni ad Henricum deferret, † atque hoc inprimis illum officio demereretur, ſuaſit. Quo conſilio, & Reipublicae praecipuam ſibi curam eſſe oſtendit, & fortunae ſimul Domus ſuae proſpicere voluit, ne Frater temere cum potentiore aemulando, in ſummum illam periculum adduceret.

† v. not. in f.

Rex aduerſus Arnulphum in Bauariam mouet.

Conradi obitus.

† v. not. in f.

HEN-

CARDVS Rer. Franc. Orient. T. II. p. 854.

3) Conf. IDEM l. c.

§. VII. 1) LVITPR. Lib. II. cap. 7. *Arnulphus, nimio Conradi terrore coactus, cum vxore & filiis, ad Hungaros fugit.* ANNAL. SAXO ad An. 917. *Arnulphus, Dux Boioariorum, Regi Conrado rebellans, terrore ipſius, cum vxore & filiis, ad Hungarios fugit, vbi ad vsque obitum Conradi permanſit.*

2) CONTIN. REGINON. *Ipſe vero hac vita decedens, in Fulda monaſterio, honorifica ſepultura tumulatus eſt.*

HENRICVS I.

VIII. *Henricus rex eligitur.*

Comitia creandi Regis Fritislariae, quod nunc eſt Haſſiacae ditionis oppidum, habita ſunt. Ibi conſpirantibus Francorum & Saxonum ſtudiis, electus Henricus, Regni Decus Saxonicae genti intulit. Coronari noluit, ſi Vitichindo fides habenda eſt, qui eum per modeſtiam hunc ritum deprecatum eſſe ſcribit. † Adſpernabatur nouum Imperium Burchardus, Sueuiae Dux, praeter opes prouinciae ſuae, elatus etiam victoria, quam, circa hoc tempus, a Rudolpho, Burgundiae Rege, prope Vitodurum, reportauerat.[1] Arnulphus quoque Bauariae Dux, ab Hunnis nuper ad ſuos reuerſus, Regnum ipſe affectabat.[2] Henricus aduerſus Sueuos primum mouit. Sed Dux, cauſae & viribus diffidens, ſponte ſe ſubmittit, atque Ducatum a Rege in feudum accipit.[3] Tum verſa vis omnis in Bauarum. Iamque Rex Arnulphum obſidebat Ratisbonae, cum inuenta eſt ratio rem ſine caede & ſanguine tranſigendi. Venit ad officium Bauarus impetratis honorificis conditionibus: inter quas fuit, vt ius inueſtiendi Epiſcopos, quod alias ſolius Regis erat, in prouincia ſua ipſe haberet.[4]

† v. not. in f.

Burchardum, Sueviae Ducem in ordinem redigit.

Aduerſus Arnulphum proficiſcitur.

Super-

§. I. 1) HERM. CONTR. ad An. 919. *Burchardus, Dux Alemanniae, Rudulphum Regem, apud Winterturum, pugna vicit.*

2) LVITPRANDVS Lib. III. cap. 7. Arnulphum ipſum Regnum affectaſſe apparet etiam ex Diplomate Friderici I. Imperatoris, Monaſterio Tegernſeenſi conceſſo, apud HVNDIVM Metrop. Salisb. T. III. p. 407. *Monaſterium ab Arnoldo, Duce Noricorum, adſectante Imperium, & diſcordante cum Rege Heinrico, primo reditibus deſpoliatum &c.*

3) VITICHINDVS Lib. I. p. 637. *Hoc ordine Rex factus Henricus, perrexit cum omni comitatu ſuo, ad pugnandum contra Burchardum, Alemanniae Ducem. Hic cum eſſet bellator intolerabilis, ſentiebat tamen, quia valde prudens erat, congreſſionem Regis ſuſtinere non poſſe, tradidit ſemetipſum ei, cum vniuerſis vrbibus, & populo ſuo.*

4) LVITPRANDVS Lib. II. cap. 7. *Henrici Regis* MILES *efficitur, & ab eo conceſſis totius Bauariae Pontificibus honoratur.*

HENRICVS I.

IX.

Henricus cum Carolo Rege pacem & foedus facit.

Supererat cum Carolo Rege, vetus de iure Regni, deque Lotharingiae poſſeſſione, controuerſia.[1] Haec quoque per legatos compoſita eſt, atque An. DCCCCXXI. Carolus, & Henricus ad Rhenum prope Bonnam conuenerunt. Ibi a ſua quisque ripa proue&tus, in naui, quae anchoris fixa, medio flumine ſtabat, amicitiam ſibi mutuo iurauerunt. Superſunt tabulae huius foederis, quo Carolus Henricum Orientalis Franciae, Henricus Carolum Occidentalis legitimum Regem agnoſcit.[2] Ita tum duo Francorum Regna mutuo Principum, populorumque foedere ſtabilita ſunt: alterum Orientale, ſiue Teutonicum, alterum Occidentale, quod Gallicanum, interdum etiam Franciam Latinam vocauere. Vterque Rex, quos in Lotharingia habebat clientes, in iure ſuo retinuit. Concilium adeo ad Confluentes An. DCCCCXXII. vtriusque Regis iuſſu, celebratum fuit.[3]

Synodus ad Confluentes.

X.

Induciae cum Hunnis.

Ita ſtatum Regni conſilio, & domeſticam pacem beneficiis ſtabiliuit. Armorum vim melius in peregrinum hoſtem exſeruit. Iam ipſam Saxoniam, & Weſtfaliam Hunni impune vaſtauerant. Sed An. DCCCCXXIII. captum vnum ex ducibus hoſtium Henricus non ante dimiſit,

B

§. IX. 1) FLODOARDVS ad An. 921. *Carolus Rex in regnum Lotharii abiit, - - & facta pactione, vsque ad Miſſam S. Martini, cum Henrico, Principe Transrhenenſi, reuerſus eſt in montem Lauduni.* Huc videtur pertinere, quod CONTINVATOR RHEGINONIS ad An. 923. retulit: *Carolus Alſatiam, & partes illas Franciae iuxta Rhenum, vsque Moguntiam ſibi vſurpaturus, vsque Pateruuicheym, villam iuxta Wormatiam, hoſtiliter peruenit. Vnde, fidelibus Regis Henrici Wormatiae coadunatis, aliter quam decuerat Regem, aufugit.*

2) Pacti formula eſt apud MIRAEVM in Codice Donationum Piarum, cap. 29. *Ego Carolus, diuina propitiante clementia* REX FRANCORVM OCCIDENTALIVM, *amodo ero huic amico meo,* REGI ORIENTALI *Henrico, amicus &c.*

3) CONCIL. T. IX. p. 579. *Anno Dominicae incarnationis 922. apud Confluentiam, iuſſu venerabilium Principum, Caroli videlicet & Henrici Regum*

HENRICVS I.

† Vitich.

Henricus militarem diſciplinam inſtaurat.

ſit, quam nouennales inducias pepigiſſent. † Illo otio opportune vſus eſt. Nam & militarem diſciplinam diligentius excoluit, & vrbes per Saxoniam paſſim extruxit, aut communiuit, atque inter alias Martisburgum ad Salam, muro circumdedit. [1] Recentiores aliquot Scriptores narrant, Henricum ludos equeſtres, quos Torneamenta vocant, excogitaſſe, vt hâc exercitatione Germanicum militem bellicis laboribus aſſuefaceret. Equidem non dubito Regem armis equisque inſigniter exercitum, [2] certamina & decurſiones eiusmodi, acuendae & oſtentandae virtutis cauſa, frequenter inſtituiſſe. Sed ipſe vſus multo antiquior eſt apud Germanos populos. [3] Caeterum apparatus atque ſolemnia, quibus id ludicrum poſtea ſe extulit, ſerius acceſſerunt.

XI.

Henrici aduerſus Slauos arma.

Multo efficacius exercuit militem vero bello in finitimos Saxoniae Venedos, ſiue Slauos, qui plerumque Hunnis fauere ſolebant. An. DCCCCXXIX. Slauos, qui circa Hauellam fluuium colebant, adortus, oppidum illorum, Brandenburgum, cepit. [1] Ad alterum Albis latus, Daleminciòs, [2] in quos, ſuperſtite patre, virtutis militaris documentum ediderat, res nouare auſos, repreſſit, & vicinos quoque Milcienos ſubegit. [3] † In ea tum regione, ad muniendos fines, terroremque incutiendum victis, in monte prope Albim

Brandenburgum, Hauellorum oppidum, capit.

† Vitich.

Miſnam arcem condit.

reuerendiſſimorum, congregati ſunt Epiſcopi numero octo &c.

§. X. 1) DITMARVS p. 328. *Antiquum opus Romanorum muro Rex praedictus in Mersburg decorauit lapideo, & infra eundem,* (forte, intra eundem) *Eccleſiam, quae nunc eſt mater aliarum, de lapidibus conſtrui fecit.*

2) VITICHINDVS Lib. I. p. 641. *In exercitiis quoque ſtudii tanta eminentia ſuperabat omnes, vt terrorem caeteris oſtentaret.*

3) Conf. Geſchichte der Teutſchen, P. II. Anm. p. 98.

§. XI. 1) VITICHINDVS Lib. I. p. 639. *Tali lege ac diſciplina cum ciues aſſuefaceret, repente irruit ſuper Slauos, qui dicuntur Heuelli, & multis eos praeliis fatigans, demum hieme aſperrima, caſtris ſuper glaciem poſitis, cepit*

Albim Misnam arcem condidit. 4 In Bohemia Wenceslaus, clarissimus illius gentis Dux, subducere se Germanico Imperio tentauerat. Illum quoque Pragae obsessum mox ad deditionem faciendam adegit. 5 Verios, & conterminos illis Rhetarios, Leuticorum nationem, iteratis praeliis fregit. Abotritas etiam suscipere Christiana sacra coëgit. † Ita dum limitem Saxoniae profert, arcibusque, & posito locis opportunis praesidio firmat, orti sunt Marchionatus Misniae, Brandenburgi & Lusatiae, quorum nomina, successu temporis Marchiones ipsi, rebus praeclare gestis, summopere illustrarunt.

HENRICVS I.

In Bohemos mouet.

† v. not. in f.

Origo Marchionatus Misniae, Brandenburgi &c.

XII.

Vt vero Lotharingiam vniuersam Germaniae iterum assereret Henricus, ciuiles turbae, quae mox in Occidentali Francia insecutae sunt, occasionem praebuere. An. DCCCCXXII. Proceres a Carolo deficiunt, & Robertum, Francorum Ducem, Ottonis, qui nuper regnauerat, fratrem, Regem creant, eumque Remis solemni ritu inaugurant. † Robertus inter primas regnandi curas, de Henrici amicitia solicitus, cum eo colloquitur ad Ruram amnem, qui ad Ruraemundam in Mosam influit. Ibi mutuum foedus, quale communis suadebat vtilitas, fecerunt,

Franci Occidentales a Carolo deficiunt.

Robertum Regem eligunt.

† d. 30. Iun.

B 2

vrbem, quae dicitur BRENNABVRG, *fame, ferro, frigore.*

2) Dalemincii habitabant in parte Misniae hodiernae.

3) Milcienorum caput Budissina urbs.

4) DITMARVS Lib. I. p. 317. *Hic montem vnum, iuxta Albim positum, & arborum densitate tunc occupatum, excoluit, ibi vrbem faciens. Cui de riuo quodam, qui in Septentrionali parte eiusdem fluit, nomen Misni imposuit, quam, vt hodie in usu habetur, praesidiis & impositionibus caeteris muniuit. Ex ea Milcienos, suae subactos ditioni, censum persoluere coëgit.*

5) VITICHINDVS: *Posthac Pragam adiit cum omni exercitu, Bohemorum vrbem, Regemque eius in deditionem accepit &c.* Paulo clarius SIGEBERTVS ad An. 930. *Wenceslaus, Princeps Bohemiae, a Rege Henrico obsessus, se & vrbem Regi dedit, & impositam Bohemiae multam tributi pecuniam soluit.* ANNAL. SAXO, & CONTINVATOR RHEGINONIS referunt ad An. 928.

HENRICVS I.

† An. 923.

runt.[1] Carolus vero, contracto celeriter exercitu, aemulum regni ad vrbem Suessionum adoritur. † In eo praelio Robertus quidem cadit; sed Hugo, filius eius, & Herbertus, Comes Veromanduorum, restituta acie, Carolum nihilo minus in fugam coniiciunt. Hac victoria obfirmatis partibus, Rudolphus, Burgundiae Dux, qui filiam Roberti in matrimonio habebat, Rex proclamatus, & apud Suessionas, in aede S. Medardi, coronatus est. † Hic est Hugo, Francorum Dux, qui Magni, nec non a colore vultus, Albi[2] cognomen habuit, magno posthac momento in rebus Franciae futurus. Herbertum autem, Veromanduorum Comitem, nobilitas inprimis sua insignem facit, quippe a Pipino Rege, Caroli M. filio, genus ducentem.

Deinde Rudolphum.

† d. 13. Iul.

XIII.

Carolus Rex Lotharingiam cedit Henrico.

† v. not. inf.

† An. 923.

Carolus vero post cladem Suessionensem, vt Henricum, abstractum ab hostium partibus, sibimet conciliaret, nouo pacto inito, Lotharingiam omnem illi reliquit. † Verum haud obtigit Carolo, foedere hoc frui. Siquidem paulo post † Herbertus, simulans reuerti se ad eius fidem, vbi fictis obsequiis deceptum ad Fanum S. Quintini illexisset, captiuum detinuit. Vxor eius, Ogiua Regina, cum paruulo filio, Ludouico, in Britanniam, ad fratrem Adelstanum, Anglorum Regem, confugit. Pars Lotharingorum, auctore Wigerico, Metensi Episcopo, in conuentu ad Moncionem, in fidem Rudolphi sese contulerunt. † Illorum rogatu, Tabernas, ex quo loco milites Henrici praedas late agebant, obsedit. Hi, frustra diu expectatis e Germa-

Pars Lotharingorum Rudolpho se dedit.

† Flod.

§. XII. 1) FLODOARDVS ad An. 923. *Robertus in regnum Lotbariense proficiscitur, locuturus cum Henrico, qui ei obuiam venit in pagum Ribuarium, super fluuium Ruram. Vbi se inuicem pauerunt, & pacta amicitia, datisque ab alterutro muneribus, discesserunt.*

2) Vt discerneretur ab Hugone Nigro,

HENRICVS I.

Henricus Mosellanicam populatur.

mania auxiliis, liberum abitum pacti, oppidum dediderunt.[1] Henrico contra Gisilbertus Dux, & Rutgerus, Treuirensis Archiepiscopus, addicti erant. Horum auxilio, statim An. DCCCCXXIII. Lotharingiam Superiorem, siue Mosellanicam tentat.[2] Anno sequente † demum vrbe Mediomatricum in potestatem redacta, Wigericum quoque Episcopum ad obsequium adduxit.[3]

Mediomatricos in potestatem redigit.

† An. 924.

XIV.

Lotharingia omnis fit Iuris Germanici.

† Flod.

Equidem Anno CCCCXXV. idem Gisilbertus ad Rudolphum se conuertit. Sed Henricus Tolbiacum oppidum, (Iuliacensis nunc ditionis) obsidet,[1] ac paulo post vt Lotharingi omnes in verba eius iurarent, obtinuit,[2] dum diuersum Rudolphum difficile bellum, aduersus Normanniae Ducem in Neustria distinet. Ab hoc tempore mansit Germaniae vnita Lotharingia, solicitata quidem saepius

 a Fran-

Rudolphi Regis fratre, Burgundiae Duce.

§. XIII. 1) FLOD. ad An. 923. *Rodulphus a plurimis Lothariensium susceptus in regno, petitur a Wigerico, Metensium Episcopo, receptum ire quoddam castrum in pagum Elisatium, nomine Zabrenum. Vbi toto paene demoratur autumno, Castellanis, qui Transrhenenses erant, auxilium ab Henrico frustra expectantibus: tandem obsidibus ab eis acceptis, Laudunum ad vxorem suam reuertitur.*

2) FLOD. ad An. 923. *Dum haec geruntur, Henricus, inuitantibus se Gisleberto Comite, & Rotgario Treuirorum Praesule, qui necdum se Rodulfo subdiderant, Rhenum transmisisse, Regnumque Lotharii depraedari nunciatur. Depopulatus est autem, quod inter Rhenum & Mosellam interiacet, gregum armentorumque abductione, ac caeterarum opum exhaustu, cum plurimorum quoque iuventutis captiuitate. Quique audito, quod Rodulfus exercitum non tantummodo e Francia, quin ex omni cogeret Burgundia, in suo se regno recepit, datis induciis Lothariensibus vsque Kal. Octobris sequentis anni. Otho tantum ex his, qui se Rodulfo commiserant, ad Henricum defecit. Wigericus Episcopus Zabrenum, vt recepit, euertit.*

3) CHRON. RHEGIN. ad An. 924. *Henricus Rex, adiunctis sibi Rudgero Archiepiscopo, & Gisalberto Duce, Metensem vrbem obsedit, & Witgerum, diu reluctantem, sibi obedire coegit.*

§. XIV. 1) FLODOARDVS ad An. 925. *Henricus, Rhenum transiens, oppidum quoddam, nomine Tulpiacum, quod Gisleberti fideles tutabantur, vi cepit, nec diu demoratus intra regnum Lotharii, ad sua trans Rhenum regreditur, obsidibus a Gisleberto acceptis.*

2) FLODOARDVS ad An. 925. *Henrico cuncti se Lotharienses committunt, & ipse Bernuino, Dadonis Episcopi nepoti, Episcopium Virdunense concedit.*

HENRICVS I.

a Franciae Occidentalis Regibus, sed a Germanis ſtrenue aſſerta. Iam ab initio Henricus non tantum in fide Lotharingorum, quantum in cura cauendi, ne facile eſſet deficere, poſuit. Itaque Rutgerum, Treuirenſem Archiepiſcopum, cuius ſingularem fidem expertus erat, Archicapellanum facit. Eberhardum vero, Conradi Regis fratrem,[3] Palatii Comitem, mittit, vt iactatam ciuilibus diſcordiis prouinciam aequabili iure componeret. † Poſtea quidem Giſilbertus Dux rebus nouis ſtudere rurſum deprehenſus eſt. Sed eum beneficiis continere in fide maluit,[4] data in matrimonium filia, Gerberga. † Boſo, Rudolphi Francorum Regis frater, ampla per Lotharingiam praedia poſſidebat. Eum detrectantem obſequium, oſtentato bello, vt ſibi fidelitatem, Regno pacem iuraret, † adegit.[5] Praeterea Henricus cum Rudolpho II. Burgundiae Rege, pacem atque amicitiam firmauit. Donatus tum eſt a Rudolpho lancea, quam ſingulari religione proſecuta eſt antiquitas, quod clauum de Cruce Seruatoris ineſſe tradebatur. Illam quondam in acie geſtari a Rege moris fuit. Nunc Noribergae vna cum reliquis Imperii inſignibus, & pignoribus ſacris, cuſtoditur. Henricus viciſſim Rudolpho partem Sueuici agri, conterminam Burgundiae, conceſſit. †

† An. 925.
† An. 927.
† An. 928.
Foedus cum Rudolpho, Burgundiae Rege.
† v. not. in f.

Anno

3) FLODOARDVS ad An. 925. *Eberhardus Transrhenenſis in regnum Lotharii mittitur ab Henrico, iuſtitiam faciendi cauſa, & Lotharienſes inter ſe pace conſociat.*

4) SIGEBERTVS ad An. 927.

5) FLODOARDVS ad An. 928. *Henricus, Germanicus Princeps, cum multitudine Germanorum Rhenum tranſiit: & ſupra Moſam veniens, obſidet quoddam caſtrum Boſonis Comitis, nomine Duroſoſtum, pro eo, quod Boſo ad legem venire nolebat de quibusdam Abbatiis, & terra Epiſcopii, quam poteſtatis auctoritate ceperat, & pertinaciter Henrici praecepta ſpernens, detinebat: Mittensque ad Boſonem, pacem ſpondet, ſi ad ſe veniat. Qui acceptis obſidibus, pacto ſecuritatis ab Henrico, venit ad eum, eique fidelitatem, & pacem Regno, iuramento promittit, terram, quam vi ceperat, reddit, data ſibi recompenſationis gratia: pacaturque tam ipſe, quam Reginarius, cum Giſleberto, & ceteris Lotharienſibus.*

HENRICVS I. XV. Expeditio in Danos. Coloniam in eo limite condit.

Anno DCCCCXXXI. Henricus aduerſus Danos, qui Friſios infeſtabant, militem duxit. In eo bello coloniam Saxonum Sleſuici in agro Danico condidit, ac Comitem impoſuit: quae Marchionatus Sleſuicenſis origo fuit. Impetrauit etiam a Rege Gormone, vt quamvis ipſe in Pagano ritu perſiſteret, Archiepiſcopo Hamburgenſi, Chriſtiana ſacra in regno ſuo inſtaurandi, facultatem daret. Cuius rei cauſa paulo poſt Vnwanus Archiepiſcopus, in Scaniam profectus eſt. † Anno DCCCCXXXII. Rege auctore, Synodus celebrata eſt Erfurti. Praeſedit Hilliuardus Moguntinus: adfuerunt Rutgerus Treuirenſis, & Vnwanus Hamburgenſis Archiepiſcopi, cum decem aliis Epiſcopis. Ex eius decretis vnum hoc ſupereſt, ne munus, aut beneficium Eccleſiaſticum, pretio emere aut vendere fas eſſet. †

† v. not. in f.

Synodus Erfurti.

† Ibid.

XVI. Bellum Hunnicum recrudeſcit.

Circa annum DCCCCXXXIII. bellum Hunnicum recruduit. Cum enim, ad finem vergentibus induciis, Rex pactam Hunnis pecuniam negauiſſet, illi per Dalemınciorum regionem irrumpunt, diuiſisque copiis, maior exercitus pars ad Salam fluuium ſubſiſtit: reliqui per Thuringiam ſe diffundunt. Hoſce Saxoniae & Thuringiae aliquot Principes, iunctis copiis, praelio vicerunt. Caeſi duces Hunnorum, reliqui aut capti, aut in fuga ferro vel fame necati ſunt. [1] Henricus ipſe, contracto ex Saxonibus praecipue & Bauaris [2] exercitu, in Hunnos, qui prope

Henricus Hunnos caedit ad Mersburgum.

§. XVI. 1) VITICHINDVS p. 641. *Saxones pariter cum Thuringis congregati, inito cum iis certamine, caeſis ducibus, caeteros illius exercitus Occidentalis, per totam illam regionem errare fecerunt. Quorum alii fame conſumti, alii frigore diſſoluti, alii autem caeſi, vel capti, vt digni erant, miſerabiliter perierunt.* Itaque male GVNDLINGIVS hoc quoque praelium ab Henrico commiſſum narrat, in *Henric.* p. 218.

2) Bauaros indicat FLODOARDVS, cum ad An. 933. ſcribit, Henricum aduerſus Hunnos tetendiſſe *cum Boioa-*

HENRICVS I. prope Mersburgum[3] consederant, profectus est. Illi subito, accensis ignibus, suos late palantes in castra reuocant,[4] atque ad praelium se comparant.[5] Non tamen sustinuere Germanorum virtutem, fuitque, dum effuse fugiunt, stragi similior res, quam pugnae. Capta hostium castra, praeda omnis, & ingens captiuorum, quos in vinculis detinebant, numerus, in potestatem victoris venit. In hoc praelio vexillum, angeli imagine insigne, ante Regem portatum legimus,[6] quali etiam Otto M. vsus est. Laetus victoria Henricus,[7] depingi pugnae speciem in Palatio Mersburgensi iussit,† hoc veluti tropaeum vindicatae a crudeli hoste Germaniae posteris relicturus. Illud quidem cum ipso Palatio diu intercidit, memoria vero beneficio Historiae durauit.

† Luitpr.

XVII. In Lotharingiam proficiscitur.

Clarus illa de Hunnis victoria, vltra Rhenum ad Lotharingos concessit, quo noui per Franciam Occidentalem motus vocabant. Herbertus, Comes Veromanduorum, alienatus a Rudolpho Rege, arma etiam capere aduersus illum non dubitauerat. Cumque pro Rudolpho staret Hugo Dux, Heribertus contra Henrici Regis opem implorat, eique semet

riis & Saxonibus, caeterisque quibusdam sibi subiectis nationibus.

3) VITICHINDVS p. 641. Nomen Vrbis, omissum a Vitichindo, Luitprandus seruauit.

4) VITICHINDVS l. c. *More suo, igni, fumoque ingente agmina diffusa collegerunt.*

5) LVITPRAND. Lib. II. cap. 9. *Haud mora, bellum incipitur, atque ex Christianorum parte, sancta mirabilisque vox κύριε, ex eorum turpis & diabolica Huy, Huy frequenter auditur.*

6) VITICHIND. l. c. *His optimis verbis erecti milites, Imperatoremque in primis, mediis & vltimis versantem videntes, coramque eo* ANGELVM, *(hoc enim vocabulo, effigieque, signum maximum erat insignitum,) acceperunt fiduciam.* Effigiem Michaelis Archangeli in numis adeo Regum Francorum & Longobardorum inuenimus.

7) Ad antiquum acclamationis militaris ritum videtur alludere VITICHINDVS l. c. *Dein Pater patriae,* RERVM DOMINVS, *Imperatorque ab exercitu appellatus, famam potentiae virtutisque, cunctis gentibus & Regibus, late longeque diffudit.*

HENRICVS I.

met in clientelam dedit.[1] Iam in procinctu ſtanti Henrico occurrit Hugo Dux, a Rege ſuo miſſus, animumque a belli apparatu ad pangendas inducias auertit.[2] Per legatos tamen pro Herberto, quem ſemel in fidem receperat, agere non deſtitit.[3] Annus demum DCCCCXXXV. Franciae pacem, atque diſſidiis hiſce finem attulit. Venientes ad colloquium Henricus & Rudolphus, praeſente etiam Rudolpho, Burgundiae Rege, primum ipſi amicitiam foedere ſanciuerunt. Tum Herbertus quoque cum Rudolpho Rege, & Hugone Duce, in gratiam rediit. Boſoni, fratri eiusdem Regis, cum Bernuino, Epiſcopo Verdunenſi, bellum erat, & Epiſcopum Henricus tutabatur. Hac quoque lite nunc ſopita, conciliatus eſt cum Germanico Principe Boſo, & beneficium, quo priuatus fuerat, magna ex parte recepit.[4]

Pacem facit cum Rudolpho Rege.

XVIII. Hoc loco demum & Italiae, Vrbisque Romae viciſſitudines repraeſentare conuenit. Ludouicus III. Imperator, & Prouinciae Rex, etiamſi oculis orbatum ex Italia depulerat Berengarius, Auguſtalem tamen titulum retinuit, annosque Imperii eius Romae numeratos fuiſſe, veteres chartae indicant.

Italica. Berengarius fit Imperator.

C

§.XVII. 1) FLODOARDVS ad A. 931. *Heribertus Comes ad Henricum proficiſcitur*, EIQVE SE COMMISIT.

2) IDEM l. c. *Rodulphus Rex pergens ad Attiniacum, Hugonem ad Henricum mittit, a quo Henricus, acceptis obſidibus, & pacta ſecuritate, trans Rhenum ſecedit.*

3) IDEM. ad An. 934. *Henricus Gislebertum, & Ebrardum, cum Epiſcopis regni Lotharienſis, ad Rudolphum Regem, pro Heriberto dirigit &c.*

4) IDEM. ad An. 935. *Dein Rudolphus Rex locutus cum Miſſis Henrici, ad eius properat colloquium, vbi etiam Rudolphus, Rex Iurenſis, interfuit. Pactaque inter ipſos amicitia, etiam Heribertum cum Hugone pacarunt, redditis quibusdam ſuis eidem Heriberto poſſeſſionibus. Sed & Henricus, Boſone recepto, terram, quam prius habuerat, ei ex magna parte reſtituit.* Rem totam vna narratione complectitur VITICHINDVS p. 641. *Vnde & aliorum regnorum Proceres eum adierunt, gratiamque in conſpectu eius inuenire quaerentes, fidem tanti & talis viri probatam habentes, dilexerunt. Inter quos Heribertus, gener Hugonis, cum ei aduerſaretur Rudolphus, contra ius fasque omne Rex conſtitutus, vt ei apud dominum ſuum praeſidio eſſet, ſupplicauit. Ipſe enim Rex talis erat, vt nihil negaret amicis. Perrexit igitur in Galliam, Rex Regem alloquitur, & perfecto negotio, reuerſus eſt in Saxoniam.*

HENRICVS I. dicant. Anno demum DCCCCXVI. Berengarius inuitatus a Papa Ioanne X. Romam venit, atque die festo Paschatos Imperator coronatus est. † Saraceni tum Garilianum montem insidebant, praedamque late agentes, vicinos Romae agros & itinera infestabant. Aduersus hos Berengarium exstimulabat Papa. Quid in tam vicinum hostem, quoue successu, susceperit nouus Imperator, in illa temporum caligine, non constat. Post aliquot demum annos victi, atque deleti sunt, a Pandulpho Beneuenti & Capuae Principe, & militia Iohannis Papae, impetratis etiam a Romano, Imperatore Orientis, auxiliis. † Berengarius post varias fortunae vicissitudines perfidiae suorum succubuit. Erat tum magna inter Italiae Proceres existimatione Adalbertus, Marchio Eporediae. Hic etsi natam eius Gisilam in matrimonio habuerat, filiumque ex ea Berengarium iuniorem, (qui postea & ipse Regnum Italiae obtinuit) susceperat, non dubitauit tamen cum Lamberto Archiepiscopo Mediolanensi, & Othelrico Comite Palatii, genere Sueuo, defectionem parare. *

† v. not. in f.

Itali rebus nouis student.

† Ibid.

XIX. Hi autem regnum offerunt Rudolpho II. Burgundiae Regi; vicino Italiae, & Soceri etiam Burchardi, Sueuiae Ducis, auxiliis freto. Is tam flagrantibus in Italia studiis exceptus est, vt Berengarius intra Veronam continere se necesse haberet. Paulatim vero Imperator in illa mutandi partes facilitate, opera inprimis vsus Guidonis, Placentiae Episcopi, quosdam ad officium reuocat. * Vbi res ad praelium venit † prope Florentiolam,† Aemiliae oppidum, inter Parmam & Placentiam, nutat initio miles Rudolphi. Verum Bonifacius Comes, Camerini postea & Spoleti Dux, qui

Rudolphus, Rex Burgundiae in Italiam euocatur.

† An. 922.

Praelium ad Florentiolam.

† A. 923. d. 29. Iul.

† Fiorenzuola.

§. XVIII. * LVITPR. L. II. c. 16. §. XIX. * LVITPR. l. c. c. 17. & 18.

HENRICVS I.

qui ſororem eius Waldradam in matrimonio habebat, cum lecta militum manu, ex inſidiis ſuperueniens, inclinatam iam aciem reſtituit. Victor Rudolphus, conſtitutis Ticini, in publico conuentu, Italiae rebus, in Burgundiam tantisper ſe recipit. Berengarius Veronam iterum confugerat. Ibi paulo poſt † in templo, proditione familiaris, cuius fidei plurimum tribuere ſolebat, trucidatus eſt. †

Berengarius Imperator occiditur.
† An. 924.
† Luitpr.

XX.

Itali a Rudolpho deficiunt.

† An. 925.

Tum quidem Rudolphus tutam ſibi Italiae poſſeſſionem pollicitus, alacriter tranſcendit Alpes. Sed mortuo paulo poſt Adalberto Marchione, alia ſubito caput extulit factio, † Hugonem, Comitem Prouinciae, ad Regnum poſcentium. Erat is patre natus Theobaldo, Comite Arelatenſi. Mater Bertha, Lotharii II. Francorum Regis, ex Waldrada, filia, poſt obitum prioris mariti, Adalberto, Marchioni Tuſciae, nupſerat: natusque ex hoc matrimonio Guido, Etruriam hoc tempore obtinebat, magno partibus hiſce adiumento. Ermengardis etiam, Berthae ex eodem connubio filia, Adalberti autem Eporedienſis vidua, omnes formae & ingenii illecebras pro Hugone adhibebat, pudoris adeo, modo frater regnaret, prodiga. Burgundus quidem Ticini eam obſedit. Sed deſertus a nonnullis, quibus præcipuam ſpem repoſitam habebat, ſublata oppugnatione, ad ſocerum in Sueuiam confugit, eique perſuadet, vt ſecum in Italiam ad comprimendos inimicos proficiſcatur. Verum Burchardus in inſidias, quas Archiepiſcopus Mediolanenſis parauerat, incidit, occiſusque eſt prope Nouariam.* Rudolphus, iam prorſus imparem ſe videns coniuratis, in Galliam ſuam receſſit.

Hugonem, Comitem Prouinciae, in Italiam arceſſunt.

Burchardi, Sueviae Ducis, in Italiam expeditio.

C 2 Inter-

§. XX. * LVITPR. Lib. III. cap. 4. Occiſus eſt Burchardus Prid. Id. Nou. vti notat HEPIDANVS. Idque confirmatur ex Libr. Anniuerſariorum Eccleſiae Alemannicae apud GOLDAST. Rer. Alemann. T. II. P. 2. p. 142.

HENRICVS I. XXI. Hugo in Italiam proficiscitur. † An. 926. Coronatur Ticini † Luitpr.

Interea Hugo mari progressus, ad portum Pisanum appulit: † exceptusque a Ioannis X. Papae, & plurimorum Italiae Procerum Legatis, Ticinum contendit, ibique Rex Italiae coronatus est. Mantuae deinde cum Ioanne Pontifice ipso collocutus, foedus sanciuit. † Habuit sane Hugo initia Regni laeta satis, & plena bonae spei. Namque cum Burgundo de Italiae possessione transegit, aequo pacto, cuius haec summa fuit: vt Rudolphus abstineret Italia, & vicissim quae Hugo in Gallia habuerat, Regno Burgundico adiicerentur.[1] Ab eo tempore Rudolphus Burgundiae & Prouinciae Rex appellatus est.[2] Henricum quoque, Regem Germaniae,[3] Hugo, nec non Romanum, Orientis Principem,[4] foederibus sibi conciliauit. Denique circa annum DCCCCXXX. Lotharium filium, quem ex Alda susceperat, desponsum Adelheidi, Rudolphi Burgundorum Regis filiae, collegam regni assumsit.

Cum Henrico Rege foedus facit.

XXII. Status Vrbis Romae.

Vrbs Roma vero, iacente Occidentis Imperio, exagitata Patriciorum & Pontificum certaminibus, vni foeminae, Mariae, siue Maroziae, misere seruiebat. Illa quo libido, aut ambitio impelleret, sacra & profana omnia trahebat. Post Alberti, seu Alberici, Comitis Tusculani mortem, Guidoni, Marchioni Tusciae, supra narrato mihi, nupserat. Mortuo Guidone, nuptias Hugoni Regi, fratri eius vterino, atque Imperium Vrbis, velut in dotem, offert.[1] Sed Albe-

§. XXI. 1) LVITPRAND. Lib. III. cap. 13. *His temporibus Italienses in Burgundiam ad Rudolfum mittunt, vt adueniat. Quod Hugo Rex vt cognouit, nunciis ad eum directis, omnem terram, quam in Gallia ante regni susceptionem tenuit, Rodulfo dedit, atque ab eo iusiurandum, ne aliquando in Italiam veniret, accepit,*

2) Conf. PAGIVS ad A. 930. n. 6.

3) LVITPR. Lib. III. cap. 13. *Vgo Rex non minus etiam Henricum, Regem fortissimum, multis collatis muneribus, amicum sibi effecerat.*

4) LVITPR. Lib. III. cap. 5.

§. XXII. 1) LVITPR. Lib. III. c. 12.

HENRICVS I.

Albericus Patricius rerum in vrbe potitur.

Albericus iunior, quem ex Alberto genuerat, hoc consilium interuertens, ipse tyrannidem in Vrbe arripit, Hugonem expellit, matrem in custodia detinet. [2] † Quin & fratrem, Ioannem XI. Papam, spoliatum omni seculari potestate, haud multo aliter quam captiuum habet. [3] Pacem tamen inter Hugonem atque Albericum postea † Leo VII. Papa procurauit, operam nauante Odone, Abbate Cluniacensi. Deditque Hugo filiam Aldam in matrimonium Alberico. [4] Ita rerum, quam diu vixit, in Vrbe potitus est Albericus, & moles Hadriani, (quae iam dudum in nomen Arcis S. Angeli transierat) pro castello, [5] ad continendos in obsequio Romanos, fuit.

† An. 933.

† An. 936.

XXIII.

Arnulphi, Bauariae Ducis, expeditio in Italiam.

Anno circiter DCCCCXXXIII. Arnulphus, Bauariae Dux, inuitatus a parte Italorum, aduersus Hugonem per Tridentinas Alpes, in Italiam profectus est. † Adfuisse etiam in ea expeditione Archiepiscopum Salisburgensem reperio. † Veronae a Ratherio, Vrbis Episcopo, & Milone Comite, cupide exceptus est Arnulphus. Sed Hugo, concitis sine mora militibus, nouo hosti in ipso

† v. not. in f.

† Ibid.

 Regni

2) IBIDEM. Breuiter FLODOARDVS ad An. 933. *In ipsa Vrbe Roma Albericus Maroziam obsidet, Romanosque contra Hugonem Regem tenet.*

3) De Iohanne Papa FLODOARDVS in Libello de Romanis Pontificibus:

Nato Patriciae hinc cedunt pia iura Iohanni,
Vndecimus Petri hoc qui nomine sede leuatur,
Vi vacuus; splendore carens, modo sacra ministrans:
Fratre a Patricio iuris moderamine rapto,
Qui matrem incestam, rerum fastigia moecho
Tradere conantem, decimum sub claustra Iohannem
Quae dederat, claustro, vigili & custode subegit.

4) FLOD. ad A. 936. *Hugo, Italiae Rex, Romam nisus capere, afflicto suo exercitu fame, & equorum interitu, pacta tandem pace cum Alberico, dans ei filiam suam coniugem, ab obsidione desistit.* S. Odonis, Abbatis Cluniacensis, nauatam in procuranda pace operam, ex Vita ipsius, a Iohanne Monacho, discipulo Odonis, scripta, commemorat SIGONIVS de Regn. Ital. Lib. 6. Idque illustrat PAGIVS ad An. 936. n. 11.

5) Moles Hadriani iam diu Arcis instar Romae habuerat, de quo vid. Geschichte der Teutschen, XIII, 19.

HENRICVS I.

Regni limine occurrit. Incidit forte equitatus Hugonis in manumBauarorum,&vltro laceſſentes ad internecionem caedit. Quod haudquaquam laetum belli initium Arnulpho fuit. Itaque cum videret, Hugonis res longe aliter ſe habere, ac oſtenderant, a quibus inuitatus fuerat, tum & fluxam ipſorummet fidem metueret, tuta ſequi quam ſpecioſa maluit, atque in Bauariam receſſit. Ratherium Epiſcopum Hugo Rex, Ticini aliquandiu detentum, in exilium egit. †

† v. not. in fin.

XXIV.

Henrici in Italiam deſtinata.

† An. 936.

Henricum ipſum eo, quo mortuus eſt, anno † cogitaſſe de Italia, deque aſſerendo Romano Imperio, Vitichindus auctor eſt. [1] Conuocauerat Regni Proceres Erfurtum, animusque erat efficere in illis Comitiis, vt filius Otto Rex eligeretur. [2] Sed Bothfeldi, vbi venationibus indulgebat, febri correptus, dum nihilo minus vrget iter, Memlebae, quod praedium eſt ad Vnſtrutam amnem, obiit, † anno aetatis LX. Sepultus eſt Quedlinburgi in Baſilica S. Seruatii. Id oppidum condiderat, atque Mathildi Reginae vna cum aliis nonnullis in dotem aſſignauerat, ieceratque fundamenta inclyti coenobii Virginum, quod poſtea ſub filio Ottone dedicatum eſt. Praeclaram Henricus ad poſteritatem memoriam reliquit. Namque Franciae Orientalis Regnum, quod ſub Conrado nutauerat, ſua virtute aſſertum, adiecta etiam Lotharingia amplificauit. Reges Franciae Occidentalis, Burgundiaeque, & Italiae, foederibus deuinxit. Fines Germaniae aduerſus

Eiusdem obitus.

† d 5. Iul.

Danos

§. XXIV. 1) VITICH. Lib. I. in fin. *Perdomitis itaque cunctis circumquaque gentibus, poſtremo Romam proficiſci ſtatuit, ſed infirmitate correptus, iter omiſit.* Idem habet OTTO FRISINGENSIS, Chron. VI. 18.

2) Ita VITICHINDVS intelligendus, cum ſcribit, Henricum *Ottonem Regem deſignaſſe.*

Danos Slauosque protulit. Hunnos armis contriuit. De Saxonia inprimis sua optime meritus est: Vrbibus eam, & templis excolens, Saxonesque ipsos amplissimis praefecturis, & muneribus Reipublicae admouens.[3] HENRICVS I.

XXV. Coniugia & liberi.

Vxorem iuuenis duxerat Hatburgin, filiam Erwini, Dynastae Alstedii in Thuringia. Ex ea natus est Thancmarus, & filia quam postea Sigfrido, primariae inter Saxones nobilitatis viro, collocauit. Sed quod Hatburgis viduitatem iam ante Deo sacrauisset, nuptias hasce, veluti profanas, & vitio contractas, acriter insectatus est Sigismundus, Episcopus Halberstadiensis; dimisitque eam Henricus, siue religionis reuerentia, siue amore Mathildis, quam paulo post in torum adsciuit. † Erat Mathildis filia Theoderici, Comitis Ringelheimii, paternumque genus ad Vitichindum, clarissimum Ducem Saxonum, referebat. Ex ea suscepit Ottonem, qui post patrem regnauit, Henricum, Bauariae postea Ducem, & Brunonem, qui Coloniensi Ecclesiae magna cum laude praefuit. Filiae duae, Gerberga, & Hatwigis matrimoniis suis inclaruerunt. Illam pater Gisilberto, Lotharingorum Duci, connubio locauit, post cuius obitum nupsit Ludouico Transmarino, Francorum Regi. Hatwigis vxor fuit Hugonis M. Francorum Ducis, eique genuit Hugonem Regem, a quo Regum Franciae Capetingorum stemma propagatum est.

† Ditm. p. 324

3) VITICH. p. 641. *Cumque esset in exaltando gentem suam, rarus fuit, aut nullus nominatorum virorum in omni Saxonia, quem praeclaro munere, aut officio, vel aliqua quaestura non promoueret.* DITM. p. 326. *Ab hoc, de quo dixi, Henrico, & successoribus eius, vsque huc Saxones eleuati, & in omnibus sunt honorati.*

LIBER

LIBER SECVNDVS.

OTTO MAGNVS.

I Otto Aquisgrani Rex eligitur.

MOrtuo Henrico, Aquisgranum indicta ſunt eligendo Regi Comitia. Eo Germaniae & Lotharingiae Proceres, vnius iam Reipublicae ciues, poſtquam conuenere, Ottoni regnum, cui & pater deſtinauerat, decernunt. Thancmarus aetate quidem anteibat, ſed non ex iuſtis nuptiis editus cenſebatur. Neque minoris fratris, Henrici, ambitio, iactantis Ottonem ante Regnum, ſe a patre Rege genitum, obſtitit, quamuis ipſa mater Mathildis pro eo niteretur. Vbi de coronatione agitur, Rupertus Treuirenſis, & Vichfridus Colonienſis, vter vngeret Regem, diſceptant? Ille antiquitatem, & Apoſtolicam originem ſedis, hic iura Metropoleos ſuae extollens. Ambo demum conceſſerunt Hilliberto Moguntino. Is Regem ad portam templi excepit, deductumque ad aram, adſiſtentibus collegis, antiquo ritu, inaugurauit. † In Regali epulo veſtigia munerum Palatinorum, qualia in vetere Francorum Regno floruerunt, reperimus. Praecipuus in procurandis hoſpitalitatis officiis fuit Giſilbertus, Lotharingorum Dux. Eberhardus * ad menſam aderat Regi. Hermannus, Sueuiae Dux pincernis, Arnulphus Bauarus caſtris, & rei equeſtri praeerat. † Seruata ſub ſequentibus Regibus haec Palatini Miniſterii forma in ſolemnibus Curiis fuit: titulique, & functiones, ad poſteros durauerunt.

Coronatio Ottonis.

† v. not. in f. Epulum Regale & Officia Palatina.

† Ibid.

Eo-

* Hunc Ducem Francorum vocat CONTINVATOR REGINON. ad An. 937.

OTTO M.

II.

Eodem anno, & Occidentales Franci, mortuo Rudolpho, nouum Regem acceperunt. Ipſo enim Hugone M. auctore, miſſi ſunt in Angliam legati, qui Ludouicum, Caroli Regis filium, ad Regnum inuitarent. Vnde Transmarini cognomen ei inditum. Anno ſequente, † Rudolphus II. Burgundiae & Prouinciae Rex, obiit, relicto filio Conrado impubere. Tum Otto in Burgundiam cum exercitu profectus eſt. Eius expeditionis tenuia admodum indicia ſeruauit Hiſtoria. Hoc ſaltem conſtat, abductum puerum Regem, educatumque in aula Ottonis, & continuum fere, per id tempus, bellorum eius comitem fuiſſe. † Bertham Reginam, Rudolphi Burgundici viduam, Hugo, Italiae Rex in matrimonium duxit. *

Ludouicus Franciae occidentalis Rex.

Rudolphus Burgundiae Rex moritur.

† An. 937.

† vid. not. in f.

III.

In Bohemia res turbauerat Boleslaus, occiſo fratre Wenceslao,[1] quem, praeclare de re Chriſtiana meritum, inter Sanctos colit Bohemia. Neque contentus ſpreta Regis auctoritate, principatum gentis ſuae vſurpaſſe, vicinos etiam ipſe prior bello laceſſebat. Miſſi aduerſus illum exercitus duo: † alter ex Saxonibus lectus; alter ex Thuringis & Haſſis, quem Aeſico, Mersburgi Comes, ducebat. Qui cum rem parum proſpere geſſiſſent, † Rex ipſe contractis, quas potuerat, copiis, tendit in hoſtem, ducemque Saxonibus dat Hermannum Billungum, ex flore Saxonicae Nobilitatis, & clarum militiae virum. Huic quidem dignitas illa magnam inuidiam conflauit. Ipſe frater Vicmannus, qui ſororem Mathildis Reginae in matrimonio habuit, conſpectum praelati ſibi Germani ferre non potuit, ſimulatoque morbo, ab exercitu receſſit.[2] Sed neque tum vltra pala-

Bellum Bohemicum.

† An. 938.

† Vitich.

Hermannus Billungus Saxoniae Ducatum accipit.

D tiones

§. II. *) Conf. PAGIVS ad An. 938. not. 8.

§. III. 1) Occiſus eſt S. Wenceslaus An. 938. d. 28. Sept.

2) VITICH. Lib. II. p. 643. *Placuit igitur nouo Regi* NOVVM PRINCIPEM MILITIAE *conſtituere: elegitque ad hoc officium virum nobilem*

OTTO M. tiones magnae rei quid gestum, extractumque est Bohemicum bellum vsque ad Annum DCCCCL. quo demum Boleslaus ad obsequium venit. Slaui deuicti. Interea Hermanni ducis virtus in Slauis conterminis, qui regiones ab Albi ad mare vsque incolebant, praesertim Vagriis, Abodritis, Rhetariis, domandis emicuit. Gero autem Marchio Veros & Lusatos subegit. Hevellos, deficere nuper ausos, Tagamirus, ex principibus gentis vnus, Germanici Imperii amantissimus, ad obsequium reduxit. Brandenburgum receptum. Seipsum quoque amore libertatis duci simulans, cum Brandenburgi magno popularium fauore exceptus esset, Regulum eorum dolo captum occidit, vrbemque, iam in potestate habens, Regi tradidit. Ita omnes Slauorum regiones ad Viadrum vsque vectigales factae. † Rex Otto victoriis ad proferendam stabiliendamque religionem Christianam vsurus, Episcopatus Brandenburgi & Hauelbergae constituit, & certam vtrique dioecesin attribuit.

† Vitich. p. 647.

Episcopatus Brandenburgi, & Havelbergae conditi.

IV.

De Bauariae Ducatu contentio.

Anno DCCCCXXXVII. Bauaria morte Arnulphi Ducis turbata est. Etenim Eberhardus, filius eius, prouinciam, non expectata Regis auctoritate, occupat. Rex vero Bertholdo, fratri Arnulphi, Comiti Palatii per Bauariam, Ducatum dedit. Nec tamen statim Eberhardum exturbare potuit, propter aliunde ingruens grauius bellum. Glifcebat inter Francos & Saxones aemulatio, siue hi reuera impotentius vtebantur rebus secundis, siue etiam innocua illi suspicione in peius trahebant. Primus e Francis Eberhardus, frater Conradi Regis, popularis aurae nimius, opibus modicus,[1] signa extulit, agrosque Bruningi, Dynastae Saxonis, in Thuringia populatus est. Sed Rex

Francorum & Saxonum aemulatio.

Eberhardus rebus nouis studet.

& industrium, satisque prudentem, nomine Hermannum, quo honore non solum caeterorum Principum, sed & fratris sui Vicmanni offendit inuidiam.

§. IV. 1) Eberhardi ingenium ita depingit VITICHINDVS L. II. p. 644. *Ille quidem erat iucundus animo, affabilis, mediocris in rebus, largus in dando.*

Rex priuatam vim ad ſuam iniuriam referens, Duci certum equorum numerum in mulctam imperat; milites ad portandum canem, (quae inhoneſta arma ferentium poena fuit) damnantur.[2] Eberhardus autem in ipſa domo Regia maioris incendii fomitem inuenit. Thancmarus, frater Ottonis, aegre ferebat, quod Rex negatam ſibi hereditatem Sigfridi, quem per matrem neceſſitudine contingebat, Geroni Comiti dono dederat. Itaque ad Eberhardum ſe applicat: mox iuniori fratri Henrico manus iniiciunt, eumque Thancmarus velut obſidem fidei Eberhardo permittit. Ipſe, variis locis direptis, conſedit Eresburgi. Verum adventanti cum exercitu Regi, incolae oppidum ſponte dedunt. Nec Thancmaro, in templum profugo, religio loci profuit: ad ipſam aram, in qua arma depoſuerat, a praeferoce milite haſta transfixus, occubuit. † Rex etſi crudelem fratris caſum miſeratus eſt; in coniuratos tamen, quotquot in poteſtatem venerant, ex lege Francorum, Maieſtatis iudicium exercuit. Damnati de infelici arbore ſuſpenſi ſunt.[3] Eberhardus autem nouos dolos nectens, dimiſit quidem Henricum, ſed accenſum prius regni cupiditate. Ipſe, hortatu Friderici, Archiepiſcopi Moguntini, ſupplex factus Regi, Hildesheimiam relegatur. Sed paulo poſt ad ſua remiſſus, † iamque facilitate veniae factus audacior, quae in occulto coeperat, apertius exſequi parat. Caeterum Otto ſopito ciuili motu, cum exercitu reuerſus in Bauariam, Bertholdo poſſeſſionem Ducatus armis aſſeruit.

OTTO M.

Thancmarus, frater Regis, tumultuatur.

Occiditur Eresburgi.

† Vidch. p. 644.

† Id. p. 645.

Bauaria Bertholdo aſſeritur.

2) VITICH. Lib. II. p. 644. *Qua praeſumtione Rex audita condemnauit Eberhardum, centum talentis, aeſtimatione equorum, omnesque principes militum, qui eum ad hoc facinus adiuuabant, dedecore canum, quos portabant vsque ad Vrbem regiam, quam vocitamus Magadaburg.*

3) VITICH. Lib. II. p. 645. *Theodoricum, & tres amitae illius filios, qui Thancmaro manus iunxerant, Lege Francorum damnatos, ſtragula fecit deficere.*

OTTO M.

V.

Henricus regnum affectat. Gisilbertus Dux ei se adiungit.

Interea Henricus fraena laxans temeritati, Salfeldiae epulis, largitionibusque, quam plurimos potest, sibi conciliat, firmatisque, per Saxoniae & Thuringiae oppida, partibus, in Lotharingiam secedit,* Gisilberti & Eberhardi studiis confisus. Hi ambitioni quidem eius in speciem favebant, re ipsa suis cupiditatibus explendis occasionem quaerebant. Rex vt nascentem rebellionem opprimeret, ad Rhenum summa celeritate contendit: inque itinere vrbem Tremoniam, in qua praesidium Henricus habebat, recipit.

Praelium ad Buricum.

Iam traiicere flumen ad Buricum, quod est Cliuensis ditionis oppidum, coeperat, cum in opposita ripa Henricus & Gisilbertus, opportunum rati victoriae tempus offerri, antequam Otto cum reliquo exercitu adesset, impetum faciunt in milites. Sed hi rem fortiter agunt, hostesque in fugam coniiciunt. Quod in maius, vt solet, proferente fama, sparsus est per Saxoniam & Thuringiam rumor, ipsum Henricum in praelio cecidisse, tantumque valuit, vt omnes, quae in fide eius erant ciuitates, praeter Mersburgum & Scheidingam, ad obsequium Regis transirent. †

† Vitich.

VI.

Ludouicus Rex Lotharingiam tentat.

Tum Gisilbertus, aliique Proceres nonnulli ad Ludovicum Transmarinum, Francorum Occidentalium Regem, se conferunt, exstimulantque illum, ad Lotharingiam, quam pater Carolus amisisset, recuperandam. Vicissim in Neustria Proceres nonnulli, & Hugo inprimis Dux, aperte diffidebant a Rege Ludouico. Praeterea de Ecclesia Remensi Artaldus, cum Hugone, filio Herberti, Comitis Veromanduorum, contendebat. Ille auctoritate Regis, hic familiae, ipsiusque adeo Hugonis Ducis, opibus nitebatur.

Ita-

§. V. *) VITICH. Lib. II. p. 645. *Henricus ardens cupiditate regnandi, celebre parat conuiuium, in loco, qui dicitur Saluelдum. Cumque esset magnus ac potens maiestate & potestate regali, plurimis plurima donat, & factionis huiuscemodi plurimos ob id adsociat.*

OTTO M.

Otto Proceres aliquot Neustriae in fidem accipit.

† Flodoard.

Itaque Otto Vilhelmum, Ducem Normanniae, Arnulphum Flandriae Comitem, cum eodem Herberto, & filio eius Hugone, foedere sibi obstringit. † Tanta enim Vasalli, penes quos omnis hoc aeuo militia stabat, libertate vtebantur, vt pro lubitu fere mutarent Dominos, & cui vellent, feuda sua offerrent. Ludouicus Rex tentaturus Lotharingos, Verdunum primum concedit: inde pergit in Alsatiam, confisus occultis studiis Rothardi, Episcopi Argentoratensis. † Quod audiens Otto, qui tum forte Gisilbertum in Castro Montis Caprarum,[1] obsidebat, relicto ad oppugnandum castrum Immone, Comite Lossiae, in Germaniam, maiores conducturus copias, regreditur. Ludouicus, non expectato eius reditu, recessit, imposito Brisaci ex militibus Gisilberti & Eberhardi praesidio. Id oppidum vbi obsidet Rex, Fridericus Moguntinus, & Rothardus Argentoratensis, clam ex castris secedunt, † & Mediomatricos adeunt, cuius ciuitatis Praesul, Adalbero, & ipse Ludouico Regi addictus erat. Interea Gisilbertus & Eberhardus, superato Rheno, vt Regem ab obsidione abstraherent, late praedas agebant. Ipse vero propositi tenax Hermannum, Sueuiae Ducem, ire, & dispellere praedantium agmina iubet. Deprehendit illos expeditior manus in ripa Rheni, Antonacio opposita, iamiam traiecturos flumen. Eberhardus, confossus telis, cadit. Gisilbertus, dum fuga sibi consulere properat, aquis Rheni mergitur.[2] Brisacenses, accepto eius rei nuntio, cum nullam auxilii spem reliquam haberent, Regi se dedunt.

† Flodoard.

Otto Brisacum obsidet.

† An. 939.

Gisilberti & Eberhardi clades.

§. VI. 1) *Chieuremont* in Dioecesi Leodiensi.

2) VITICH. Lib. II. p. 648. *Ad coërcendam igitur Ducum praesumtionem, missus Hermannus cum exercitu: inuenit eos supra littus Rheni, magnamque partem exercitus abesse, eo quod iam Rhenum cum praeda transissent. Circumfusus itaque Dux ipse Eberhardus militum armis, multis vulneribus acceptis, ac viriliter redditis, perfossus tandem telis corruit. Gisilbertus autem fugiens, na-*

OTTO M. VII.

Otto res per Lotharingiam constituit.

Otto accepto in fidem oppido, Rhenum transit, vt res per Lotharingiam constituat. Episcopus Metensis, Adalbero, aliquandiu, sed frustra, resistere conatus, mox vna cum aliis earundem partium, ad clementiam Regis confugit. Fridericus tamen Moguntinus in monasterium Fuldense, & Rothardus Argentoratensis in Corbeiense relegantur. Sed non diuturnum fuit exilium. Iamque Otto in ipsam † Neustriam, inuitatus ab asseclis, transferre bellum statuit. Obuiam profecti Hugo Dux, & Herbertus Comes, deducunt eum ad palatium Atiniacum, ibique vna cum Rutgerio, Comite Duaci, fidem, vt Domino, iurant.[1] Ludouicus Rex in Burgundiam, plurimum fidens Duci eius, Hugoni Nigro, se recipit. Insecutus Otto, positis ad Sequanam castris, tantum terroris Burgundo infert, vt datis obsidibus promitteret, nulla se in re Hugoni Magno, aut Herberto Comiti aduersaturum.[2] Paulo post cum ipso Ludouico Rege inducias, & denique pacem iniit, eique Hugonem etiam & Herbertum conciliauit. Ab eo tempore amicitiam inter maritum & fratrem modis omnibus fouit Gerberga Regina, quae amisso priori coniuge Gisilberto, Ludouico Regi nupserat.

† An. 940. In Neustriam cum exercitu proficiscitur.

Pax cum Ludouico Rege.

vem cum pluribus ascendit, quae onere praegrauata succumbens mergitur, ipseque Dux; cum caeteris mersus, nunquam est inuentus. Locum, vbi res gesta, notat CONTINVATOR REGINONIS ad An. 939. *Gisalbertus & Eberhardus, iuxta* ANDERNACVM *castellum, cum suis Rhenum transituri, ab* VOLONE *&* CHVNRADO *Comitibus, caeterisque Regi fidelibus, ne transeant, bellica congressione, citoque mortis compendio praeuenti.*

§. VII. 1) FLODOARD. ad An. 940. *Hugo & Heribertus relicta obsidione Lauduni, noctu ad munitionem Petraepontem deproperant, indeque Ottoni Regi obuiam proficiscuntur, cui coniuncti ad Atiniacum eum perducunt, ibique cum Rotgario Comite, ipsi Odoni sese committunt.*

2) FLODOARD. ad An. 940. *Otto Rex Henrico, fratri suo, regnum Lothariense committit. Tumque cum diuersarum gentium, quas secum adduxerat, multitudine post Ludouicum in Burgundiam proficiscitur, habens secum Conradum, filium Rodulfi, Regis Turensis, quem iam dudum dolo captum, sibique adductum retinebat. Castraque metatus supra Sequanam, obsides ab Hugone Nigro accepit, cum iuramento, ne esset nocumento Hugoni, vel Heriberto, qui se subdiderant eidem Ottoni. Quo facto reuertitur ad sua.*

OTTO M.

pserat. Gisilbertus vnicum filium, tenera aetate, reliquerat, Henricum. Illi tutor, simulque Lotharingis Dux, datus est Otto,[3] ex Comitibus Verduni. Sed puer quinto aetatis anno obiit, neque Otto Dux diu superstes fuit. Tum Rex Ducatum dedit Conrado, Vormatiae Comiti, cui Sapientis cognomen fuit, eique simul filiam Luitgardem despondit. Henricus vero frater Regis, deiectus a spe potiundi Regni Lotharingiae, in Franciam Occidentalem secesserat. Pace autem inter Reges restituta, & ipse fratri conciliatus est.[4] Nec tamen destitit rebus nouis studere, & insidias adeo struere Regi, donec tandem Bauariae Ducatum impetrauit.

Conradus fit Lotharingiae Dux.

VIII.

Ottonis cum Ludouico Rege foedus.

Paulo post iterum Otto Franciae Occidentalis turbis implicitus est. Ludouicus Rex a Richardo, Normanniae Duce, captus fuerat.† Eum Hugo M. Franciae Dux, rogatu Gerbergae Reginae, liberauit quidem e manibus Normannorum, sed maiori perfidia ipse detinuit, custodiendumque Theobaldo, Comiti Carnotensi, tradidit, vt a Rege Lugdunum Clauatum,† quam vnicam fere munitam vrbem in potestate habebat, extorqueret. Nec ante dimissus est Ludouicus, quam eam promisisset cedere Hugoni. Praeterea, in contentione de Remensi Episcopatu, quam supra memoraui, praeualuerant fautores & asseclae Hugonis, & Artaldum abdicare se Episcopatu coëgerant. Iam vero Ludouico, vindicare se a suorum iniuriis, & Artaldum restituere Sedi, animus erat: stimulabatque Arnulphus, Flandriae Comes, priuatim Normannis, & Hugoni

† An. 946.

† Laon.

3) VITICH. Lib. II. p. 648. *Praeficiensque regioni Lothariorum Ottonem, Ritwinis filium, & vt nutriret nepotem suum, filium Gisilberti, optimae spei puerulum, nomine Henricum, reuersus est in Saxoniam. Mater autem pueri copulata est coniugio Ludouico Regi, & Henricus, frater Regis, discedens a Lothariis, secessit in regionem Caroli.*

4) VITICH. Lib. II. p. 648. *Rex igitur, vicina sibi semper clementia, graues fratris miseratus labores, aliquantis vrbibus suis vsibus concessis, permissus est in terra Lothariorum habitare*

goni Duci infenſus. Ante omnia auxilium ab Ottone Rege petere ſtatuit, eamque legationem Arnulpho ipſi defert. Otto, patrato foedere, cum exercitu in Belgicam ſecundam, comitante Conrado, Burgundiae Rege, profectus [1], † prope Cameracum Ludouicum Regem obuium habuit. Initio viſum eſt Laudunum obſidere. Sed arcem Comes Carnotenſis, ab Hugone Duce impoſitus, ita munierat, vt oppugnandae minime pares ſibi viderentur. Itaque ad Remos flexerunt. Eam vrbem Hugo Veromanduus, pro Archiepiſcopo ſe gerens, in poteſtate habebat. Nunc vero defendere minime auſus, cum fuga euaſiſſet, oppidani Ludouico Regi ſe permittunt. Quo facto Artaldum, Fridericus Moguntinus, & Rotbertus Treuirenſis, qui in comitatu Ottonis erant, in Eccleſiam rurſus introducunt. [2]

Otto auxilium fert Ludouico. † An. 946.

Remi ſe dedunt.

IX.

Gerberga Regina Remis, ad ciuitatem & regionem tuendam manſit. Reges ipſi, cum exercitu progreſſi, praedia Hugonis Ducis effuſe populantur. Syluanectum † fruſtra tentatum. Ottoni quidem animus erat in Pariſios ducere. Sed Arnulphus oſtendebat difficultatem oppugnandae vrbis, quam vndique ambiret Sequana, ſuadebatque, vt recta in Normannos, caputque regionis, Rothomagum, pergeret, multa iactans de occultis ſtudiis, quibus effecturus eſſet, vt illa dederet ſe, cum primum appropinquare exercitum videret. Fefellit autem ea ſpes, & praemiſſa ab Ottone Saxonum manus, ad portam vrbis Bello-

Otto in Normannos tendit.

† Senlis.

Rothomagum fruſtra tentatum.

§. VIII. 1) FLODOARD. ad A. 946. *Maximum colligens ex omnibus regnis ſuis exercitum, venit in Franciam, Conradum quoque ſecum habens, Ciſalpinae Galliae Regem.*

2) FLODOARD. l. c. *Sicque Reges cum Epiſcopis & Principibus ingredientes vrbem, Dominum Artaldum Praeſulem, qui dudum fuerat eiectus, iterum inthronizari fecerunt, quem Rotberdus Treuirenſis Archiepiſcopus, & Fridericus Mogonciacenſis, accipientes vtraque manu, eidem ſedi reſtituerunt.*

louacenſem, male multata eſt. Itaque in agros, & patentia loca, verſa eſt populatio. Recedentibus autem inſtat Normannus eques, vsque in Ambianos, ad Summam flumen. Otto dum per Flandriam exercitum reducit, prope Legiam † amnem, ad tuendum Germanici Regni limitem, continendosque in officio Gandauenſes, caſtrum extruxit, eique Comitem Vicmannum,* fratrem Hermanni, Ducis Saxoniae, impoſuit. OTTO M. † Lys.

X.

Sequente anno,† Ottonem Aquisgrani Solenne Paſchatos obeuntem inuiſit Ludouicus Rex, & praeſens opem conſiliumque poſcit. Otto conciliandae concordiae curam ſuſcipiens, per Legatos eo rem adduxit, vt ineunte menſe Augusto, conuentus eius rei cauſa, ad Carum † amnem haberetur. Ibi placuit, vt controuerſia de Remenſi Eccleſia, in Synodo diſcuteretur: interea interLudouicum & Hugonem induciae eſſent.[1] Habita eſt Synodus Verduni a Rotberto Treuirenſi, menſe Novembre, ibique Epiſcopatus Hugoni abiudicatur: quod iudicium Epiſcopi in alio ad Moncionem conuentu, † comprobarunt. Sed cum minime in illo acquieſceret Veromanduus, ad Concilium Nationale[2] reiecta res eſt, in quo ſimul ipſa cauſa Regis Ludouici, & Hugonis Ducis diſceptaretur. Conuenere Ingelheimum frequentes Germaniae & Lotharingiae Epiſcopi, ad Kal. Iun. An. DCCCCXLVIII. praeſeditque Marinus, Vicarius & Legatus Agapeti Papae. [3] Interfuerunt Otto & Ludouicus Reges, in quorum gratiam, literas Papae ad Syno-

Ludouicus Rex Ottonem inuiſit. † An. 947. **Otto conciliandae pacis curam ſuſcipit.** † Chaire. † An. 948. **Concilium Ingelheimi.**

E dum

§. IX. * De hoc Vicmanno conf. GVNDLINGIANA, XXXIV. p. 346-357.

§. X. 1) FLODOARD. ad A. 947. *Conuentus, placito Regum Ludouici & Ottonis, ſuper Charam fluuium, intrante menſe Auguſto, celebratur. Treugae, vel induciae belli inter Regem Ludouicum, & Hugonem Principem, vſque ad Synodi tempus, Ottone Rege mediante, diſponuntur.*

2) IDEM. *Dominus igitur Agapitus Papa Vicarium ſuum, Marinum, Epiſcopum, mittit ad Othonem, propter euocandam & aggregandam generalem Synodum.*

3) Vid. SIRMOND. T. III. Conc. Gall.

OTTO M. dum ſcriptas, germanice quoque recitatas fuiſſe Flodoardus memoriae prodidit.[4] Hic quoque exauctoratio Veromandui confirmata eſt, & Hugoni praeterea Duci, niſi Regi ſatisfaceret, dirae denunciatae ſunt.

XI.

Otto auxilia mittit Ludouico Regi.

Otto roganti Ludouico Regi Conradum Ducem & Epiſcopos Lotharingiae praeſto eſſe iubet. Ex his Rotbertus Treuirenſis, & Adalbero Metenſis, collectis copiis, Moncionem, arcem Hugonis Veromandui, itemque Montem Acutum, in Comitatu Laudunenſi, expugnant.

Concilium Trevirenſe.

Iterum Synodus a Marino Legato habita Treuiris, atque inſtante maxime Ludolpho, Capellano, & Legato Ottonis, vti in Concilio Ingelheimenſi minati fuerant Patres, ſacris interdictum eſt Hugoni Duci.[1] Id ratum habens Agapetus Papa, & ipſe Hugonem deuouit. Sed minime Dux religionibus terrebatur, quam diu arma in promtu habebat. Itaque An. DCCCCL. Ludouicus Rex iterum Ottonem adit, rogatque, vt vim atque effectum addat decretis.

Pax inter Ludouicum Regem, & Hugonem.

Hic Conradum Ducem, atque Epiſcopos & Comites aliquot delegat, qui nihil intentatum relinquant, quo Hugonem tandem ad aequas conditiones adigant.[2] Acta res eſt in frequente ad Matronam conventu, hinc Ludouico Rege, inde Hugone Duce cum ſuis conſidente. Arbitrium pacis conſtituendae penes Conradum Lotharingiae & Hugo-

4) FLODOARD. l.c. *Poſt quarum litterarum recitationem, & earum propter Reges, THEOTISC. interpretationem &c.*

§. XI. 1) FLODOARD. ad A. 948. *Tertia tandem die, inſiſtente praecipue Ludolfo, Legato, & Capellano Regis Ottonis, quoniam idem Rex id omnino fieri praecipiebat, excommunicatur Hugo Comes, inimicus Ludouici Regis.*

2) IDEM ad An. 950. *Rex Ludouicus ad Othonem Regem proficiſcitur trans Moſellam, conſilium quaerens, & auxilium ab eo de pace fienda inter ſe, & Hugonem. Qui promittit ſe miſſurum ei Ducem Conradum cum Lotharienſibus, ad id exſequendum. Qui Dux veniens cum Epiſcopis quibusdam, & Comitibus, locutus eſt cum Hugone, de paciſcenda pace. Quodque apud ipſum inuenit, Ludouico Regi denuntiauit. Sicque ad Othonem redit, dimiſſis apud Ludouicum quibusdam Comitibus, qui voluntatem Regis Hugoni ſignificent.*

gonem Nigrum, Burgundiae Duces, nec non Episcopos Adalberonem Metensem, & Fulbertum Cameracensem fuit. Tandem ea lege sancita est concordia, vt Regi fidem denuo iuraret Dux, & Laudunum redderet. Nec minus cum Artaldo, Archiepiscopo Remensi, & cum Arnulpho, Flandriae Comite, Hugo pacificatus est.[3] Ita Otto patrati foederis memor, aequam inter Ludouicum Regem, & Hugonem Ducem, ambo sororios, pacem constituendo, haud minorem fidei, & prudentiae, quam alias in bello fortitudinis, laudem promeritus est. OTTO M.

XII. Interea in Germania Bertholdus, Bauariae Dux, sine liberis, obierat. † Ducatum Henricus frater Regis obtinuit, rogante inprimis matre, Mathildi Regina, quae singulari filium hunc amore prosequebatur. Bauaris eum necessitudo cum veterum Principum Domo commendabat. Quippe Iuditham, Arnulphi Ducis filiam, in matrimonio habebat. † Anno DCCCCXLIX. exeunte, Hermannus I. Sueuiae Dux moritur: vnicam filiam relinquens, Idam, connubio iunctam Ludolfo, Ottonis Regis filio. Huic anno sequente Rex in conuentu Wormatiensi Ducatum soceri dedit. † Ita quidem securitati Regni egregie consuluisse videbatur, cum amplissimas prouincias, Lotharingiam, Bauariam, Sueviam, genero, fratri, filio tradidisset. Sed quae tum munimenta Principatus credebat, paulo post in contrarium verterunt. Eundem annum DCCCCL. impositus Bohemico bello finis nobilitauit. Cum enim Otto, penetrata Bohemia, Pragam ipsam iam oppugnaret, † Boleslaus tandem ad deditionem venit, Regisque beneficio Ducatum recepit.

Henricus, frater Regis, Bavariam obtinet.

† An. 947.

† v. not. inf.

Sueuiae Ducatus datur Ludolfo.

† Ibid.

Bohemus se Regi permittit.

† Flodoard. ad h. a.

 Ad

3) IDEM l. c. *Itaque Rex Ludouicus, & Hugo Princeps, super Maternam fluvium pacem facturi, cum suis deueniunt. Et residentes isti ex hac parte fluuii, illi ex altera, legatos sibi inuicem mittunt: & mediantibus atque sequestris, Conrado Duce, Hugone Nigro, Adalberone quoque, & Fulberto Episcopis, Hugo ad Regem venit;*

OTTO M.

XIII.

Otto in Danos mouet.

† v. not. in f.

Ad haec tempora Danicum quoque bellum referendum videtur: quamuis de anno ipſo, quo geſtum ſit, varient Scriptores veteres. Et ſunt, qui poſt expeditionem Italicam differant.† Henricus, prolato vltra Eidoram Germanorum imperio, Marchionem Slesuici inſtituerat. Eas colonias Haraldus, Danorum Rex, primum infeſtare, mox interfecto Marchione, penitus fere exſcindere. Haec belli aduerſus Danos cauſa Ottoni fuit. Iam ad littus maris, qua Iutiam a Fionia diuidit, peruenerat; idque ab ipſa hac expeditione fretum Ottonis† vocatum eſſe, veteres Scriptores memoriae prodiderunt. Inde reuocant nuncii, afferentes, Haraldum ad Oſtium Sliae exſcenſionem feciſſe. Acri praelio certatum eſt prope Sleſuicum: victores Saxones Danum ad naves repulere. Pax demum ita compoſita eſt, vt Haraldus Regi Ottoni iuraret fidem, nomenque daret diſciplinae Chriſtianae. Initiatus eſt ſalutifera vnda, vna cum vxore Gunhildi, & filio puero, Suenone. Hunc Otto ex ſacro fonte ſuſcepit, auctoque nomine, Suenonem Ottonem appellauit. In ipſa prouincia Epiſcopatus Sleſuici, Ripae, & Arhuſae inſtituti, & metropoli Hamburgenſi attributi ſunt. Antiſtites Adaldagus, eiusdem Eccleſiae Archiepiſcopus inaugurauit, illorumque curae Chriſtiana ſimul per omnem Septentrionem ſacra commendavit.†

† Ottenſund.

Pax cum Haraldo Rege.

Epiſcopatus per Iutiam inſtituti.

† v. not. in f.

XIV.

Conuerſio Rerum per Italiam.

Iam & ſtatus rerum in Italia mutari coepit. Ceſſabat a caede Berengarii titulus Imperii Romanorum, dum interim Longobardicum Regnum Hugo, cum filio Lothario, Principatum in Vrbe Roma Albericus Patritius, obtineret. Apulia, & Calabria Imperatori Byzantino adhuc parebant: eiusque maieſtatem Capuae quoque & Beneuenti[1] Principes

& ſuus efficitur, pacaturque cum Arnulpho Comite, & Ragenaldo, atque Artaldo Epiſcopo, reddens Regi turrim Lauduni.

§. XIV. 1) Landulfi, Principis Capuae

Principes comiter colebant. Quin & Hugonis Regis ami- OTTO M.
citiam tanti fecit Romanus ſenior, qui tum Byzantii regna-
bat, vt filiam eius Bertham, quamuis ex pellice genitam, ne-
poti ſuo, Romano, vxorem expetierit.[2] In Hugonem autem
ex improuiſo inſurgit Berengarius iunior, Eporediae Mar-
chio, patre Adalberto natus, ex Giſela, Berengarii Auguſti
filia. Initio quidem haud proſpera vſus fortuna, in Ger-
maniam † ad Hermannum, Sueuiae Ducem, confugit, eoque † An. 940.
commendante, ab Ottone Rege in clientelam receptus eſt.
Inde collectis copiis in Italiam reuerſus, conditiones, quas
volebat, extorquet Regi. Paulo poſt Hugo Ticini conuen-
tum habuit, hortatusque, quotquot in fide manſerant, Pro-
ceres, vt illibatam eam ſeruarent Lothario, † ipſe in Galli- † Luitpr.
am, ſollicitaturus noua auxilia, profectus eſt, † ac paulo poſt † An. 946.
obiit.[3] Ab eo tempore Lotharius nomen quidem regium Berengarius II. Italiae Rex.
retinuit, praecipua vis penes Berengarium fuit. Nunc fa-
tis concedente Lothario, † regnum ipſum facile occupat: † An. 950.
Ticinoque vrbe, quam ille vxori Adelheidi in dotalitium
adſignauerat, in poteſtatem redacta, vna cum filio Adal-
berto, regalia inſignia capeſſit.[4] Quo autem magis confir-
maret principatum, Adelheidin, vt filio nuberet, ſollicitat:
recuſantem abducit captiuam, arcique ad lacum Bena-
cum † includit. Regina tamen, Capellano ſuo iuuante † Lago di Gardia.
fugam, euadit, atque ab Azzone Comite, Canuſii,

& Beneuenti, cum Romano Seniore foedus, commemorat CEDRENVS p. 651.

2) CONTINVAT. THEOPHANIS, n. 46. *Porro ſecunda indictione Romanus Imperator Paſchalium, Protoſpatharium, ac Longobardiae Ducem, ad Hugonem, Regem Franciae, miſit, eius filiam Romano, Conſtantini generi ſui filio, ſponſam exquirens: quam & aſſumens, quem dixi, Paſchalius cum multa ſupellectile, atque opibus in vrbem induxit.* Loquitur de hoc coniugio CONSTANTINVS PORPHYROGENETA Lib. de Adminiſtr. Imp. c. 26. Sed parum accurate, vti notauit PAGIVS ad An. 944. n. 46.

3) Conf. PAGIVS ad An. 945. n. 2.

4) CHRON. NOVALICIENSE. Add. PAGIVS, ad An. 950. n. 1.

OTTO M. (quod est in ditione Mutinensi castrum, antiqua inclytum fama) suscipitur. Tum Proceres, quotquot fauebant memoriae Hugonis, & Lotharii, aut aliam ob causam auersabantur Berengarii dominationem, eodem Azzone praecipuo suasore, ad Ottonem Regem respicere coeperunt, eique (nam & ipse coniugem Editham paulo ante amiserat) nuptias Reginae, cum Italico regno, & ipsius Imperii spe, offerunt. † Opportuna visa est Regi occasio perficiendi, quod patrem Henricum sciebat in votis habuisse, quodque ante Henricum Arnulphus Imperator tentauerat. Itaque protinus mouet in Italiam, & Berengario neque vi arcere, neque praelio confligere auso, receptus Ticini, nuptias cum Adelheidi celebrat.[5] Ita ordinantibus fatis, vt ab hoc connubio maximarum conuersionum initia ducerentur. Iam Otto ipsam Vrbem Romam adire, & titulum Imperii instaurare in animo habens, ea agebat de re per legatos cum Agapeto Papa.[6] Sed quod perfici inter ipsa haec initia non poterat, in Germaniam reuertitur, † relinquens Ticini Conradum generum, Lotharingorum Ducem, qui res Italiae per absentiam eius curaret.

Otto inuitatur in Italiam.

† Luitpr.

Adelheidin Reginam in matrimonium ducit.

† An. 952.

XV.

Berengarius Rex cum Conrado Duce paciscitur.

Berengarius, quacunque posset ratione, placare Ottonem statuit, transegitque Ticini cum Conrado Duce, vt vna in Germaniam proficiscatur, atque regnum Italiae a manu Regis accipiat.[1] Ea res peracta Augustae Vindelicorum,

5) FLODOARD. ad An. 951. *Otto Rex Italiam adiit, ad cuius aduentum Berengario, Longobardorum Rege, ab vrbe Papiae fugiente, ipse Otto eandem ingreditur vrbem. Vxorem quoque Lotharii, Regis defuncti, --sibi coniugem duxit.*

6) IDEM ad Annum 952. *Otto Rex legationem pro susceptione sui Romam dirigit, qua non obtenta, cum uxore in sua regreditur, dimissis ad custodiam Papiae quibusdam suis.*

§. XV. 1) VITICH. Lib. III. p. 652. *Persuasus quoque Rex Berengarius a Chunrado Duce, cui Papia cum praesidio militari relicta erat custodienda, Regem subsecutus est in Germaniam pacem cum eo facturus, & omnibus, quae imperasset, obtemperaturus. Cui regiae*

corum, † in frequentiſſimo Epiſcoporum & Procerum Regni conuentu. Ibi iam Berengarius & Adalbertus, manibus in manum Regis implicatis, vt ſolent Vaſalli Ligii, fidem iurant, atque regnum Italiae ab eo accipiunt, [2] eadem prope ratione, qua Arnulphus olim Berengario I. conceſſerat. Marcam tamen Veronae & Aquileiae retinuit Otto, [3] vt facilior in Italiam, ſi quando arma expedire neceſſe eſſet, pateret aditus, eamque fratri Henrico, Bauariae Duci, commendauit. Caeterum videtur Auguſtae non omnia Conradi acta aeque probata fuiſſe. [4] Certe Conradus ea de re conqueſtus eſt. Idque initium fuit alienati a Rege animi. Queſtus etiam eſt Ludolphus, Ottonis filius. Is iam ab initio minime laetus Patris nuptiis diſceſſerat ex Italia, & Salfeldiae, quod in Thuringiae limite eſt oppidum, aliquandiu commoratus, aegritudinem animi ipſo receſſu aluerat. [5] Nunc cupide cum Conrado communicat dolorem, atque

OTTO M.

† An. 952. Auguſtae Vindelicorum ab Ottone regnum accipit.

vrbi appropinquanti occurritur milliario ab vrbe, a Ducibus & praefectis, Palatinorumque primoribus, & regaliter ſuſceptus ductus in vrbem, iuſſus eſt in hoſpitio ſibi praeparato manere. Neque enim faciem Regis, intra tres dies videre promeruit. Quod aegre ferens Chunradus, qui eum adduxerat, vnamque cum eo ſentiens filius Regis Luidulfus, ſuſpectum ſuper hac cauſa Henricum, fratrem Regis, habentes, quaſi antiqua ſtimulatum inuidia, deuitauerunt eum. Henricus autem ſciens adoleſcentem maternis deſtitutum ſuffragiis, contemtui coepit eum habere in tantum, vt a conuiviis ei quoque non parceret.

2) IDEM l. c. *Interea Rex Regem alloquitur, in gratiam Regis atque Reginae ſuſceptus, deditionis ſponſionem dat, foederis ſpontanei diem, apud vrbem Auguſtam deſignans. Vbi cum conuentus fieret, Berengarius manus filii ſui Adelberti ſuis manibus implicans, licet olim, Hugonem fugiens, Regi ſubderetur, tunc tamen renouata fide, coram omni exercitu, famulatui Regis ſe cum filio ſubiugauit. Et ita dimiſſus remeauit cum gratia & pace.*

3) CONTIN. REGINON. *Marcha tamen Veronenſis, & Aquileienſis excipitur.*

4) Id colligas ex verbis VITICHINDI not. 1. adductis.

5) VITICHIND. p. 652. *Quod cum vidiſſet filius eius Luidulfus, triſtis a Rege diſceſſit, profectusque in Saxoniam, aliquamdiu moratus eſt in loco conſiliis funeſto, Salafeld.* FLODOARDVS cauſam indicat alienati a patre Ludolfi, ad An. 953. *Exoritur interea inter Othonem Regem, & Luidulfum, filium eius, Conradum quoque Ducem, & quosdam Regni ipſius Primates diſcordia. Nato ſiquidem Regi filio ex moderna coniuge, ferebatur eidem puero Rex regnum ſuum promittere, quod olim, priusquam Itali-*

OTTO M. atque in Bauariae Ducem intendunt odia, quem suspectum habebant, quasi per blanditias erga nouam Reginam facta omnia & consilia ipsorum apud Regem deprimeret.

XVI.

Ludolfus & Conradus in Regem rebelles.

Domesticae illae simultates in graue discrimen Regem, & ipsam Rempublicam coniecerunt. Arnulphus erat Iunior, Arnulphi Bavarorum Ducis filius, Comes Palatii per Bauariam.[1] Qui praelatum sibi in auito Ducatu Henricum aegre ferens, nunc ipse quoque applicat se filio Regis, & ad quiduis audendum praecipitem impellit. Non facile dixeris, quas nouandis rebus causas Ludolfus, & Conradus praetexuerint. De Henrici tamen Ducis iniuriis praecipue questos fuisse constat.[2] Otto autem, fratri fauentior, dum filium & generum armis continere in officio parat, illi Moguntiam armata manu occupant. Neque Archiepiscopus ipse, Fridericus, immunis fuit a suspicione praui aduersus Regem animi. †. Iam in alterum mensem Otto vrbem obsidebat, cum agi de pace placet, pactisque induciis, & acceptis obsidibus, Ludolfus & Conradus in castra se conferunt. Veniam ea lege promittit Rex, si auctores sociosque consiliorum tradant: illi negant se commissuros, ut quenquam habitae sibi fidei poenitere

Otto eos obsidet Moguntiae.

† Vitich.

am peteret, Luidolfo delegauerat, & magnates suos eidem promittere fidelitatem iureiurando fecerat.

§. XVI. 1) Vocatur Palatinus Comes, in VITA S. VDALRICI, c. 10.

2) Id colligas ex VITA BRVNONIS, c 14. *Et quandoquidem nec inter hostes quisquam tam demens inuentus est, qui maiestatem Regiam blasphemaret, in Henricum fratrem eius, Boioariorum Ducem, & Marchionem inclytum, barbaris omnibus id locorum gentibus, ipsis etiam Graecis, formidabilem, crudelitatis inchoatae culpam omnem, & malitiam retorquebant.* CONTINVAT. REGINON. ad An. 953. *Luidolfus & Chunradus ficta ad Regem humilitate, vt post claruit, venientes, nihil talium se in eius contrarietate egisse dicebant, sed si Henricus, frater eius, in Pascha Ingelheym veniret, illum se comprehensuros, non negabant.* Maiorem haec lucem accipiunt ex VITA S. VDALRICI cap. 10.

3) FLODOARDVS ad An. 653. *Wicfredus, Coloniensis Antistes, defungitur, & Bruno frater Regis, inibi Pontifex ordinatur, cui etiam Rex Otto regnum Lothariense committit.*

OTTO M.

nitere poſſit. Cumque Henricus Dux Ludolfum acerbius obiurgaſſet, magis etiam exacerbatis animis diſceſſum eſt. Ludolfus in Bauariam ſe proripit; eum plures Bauari, deſertis ſubito Henrici caſtris, ſequuntur. Receptus eſt Ratisbonae ab Arnulpho,† qui palam prouinciales aduerſus Ducem concitabat. Vxor adeo Henrici, Iuditha, cum liberis, ſolum vertere cogitur. Conradus, relicto Moguntiae praeſidio, in Lotharingiam recedit, vrbemque Metenſem,† quod Epiſcopus Adalbero conatis ſuis aduerſabatur, diripiendam militi permittit, hac eum ad quoduis obſequium praeda illecturus. Tum Otto, Ludolfo & Conrado hoſtibus iudicatis, Lotharingiam tuendam, regendamque commendat fratri Brunoni, quem nuper Colonienſes, defuncto Vicfrido, Archiepiſcopum elegerant.[3] Ipſe, omiſſa Moguntiae oppugnatione, filium in Bauariam inſequitur; ſed nulla re memorabili geſta, exeunte anno,† in Saxoniam reuertit. In ea expeditione S. Vdalricus, Epiſcopus Auguſtanus, Ottoni cum militibus ſuis, adfuerat. Quamobrem Arnulphus vrbem Auguſtam diripuit.[4] Interea Hunni, in Bauariam irrumpunt, atque inde Franciam impune populantur. Vere primo Anni DCCCCLIV. Rhenum traiiciunt, & Lotharingiam quoque vaſtant, ſub ipſis fere Conradi ſignis, qui deiectus a Principatu Lotharingiae, nihil iam irae ſuae negabat. Inprimis praedia Brunonis Archiepiſcopi, & Raynerii Comitis depraedati ſunt. Ad Syluam Carbonariam vbi peruenere, flectunt iter in Neuſtriam, & per Italiam denique ad ſuos reuertuntur.[5]

Ludolfus in Bauariam trahit bellum.

† Vitich.

† Flodoard.

† An. 953.

Hunni Bauariam Franciamque populantur.

4) Vit. S. VDALRICI l. c.

5) Reditum illorum deſignat FLODOARDVS ad An. 954. *Nimiaque peracta depraedatione, cum praeda magna, captiuorumque multitudine, regnum ingrediuntur Ludouici, ſicque per pagos Veromandenſem, Laudunenſem atque Remenſem, Catalaunenſem quoque tranſeun-*

OTTO M. XVII.

Otto aduersus filium in Sueuiam proficiscitur.

Anno DCCCCLIV. Otto, cum Bauaris pactus inducias, aduersus filium in Sueuiam mouet, arcem rebellionis ipsam expugnaturus. Iam ex opposito cognatae stabant acies, prope oppidum Tussam, (haud Vlma procul ad Ilarem fluuium) cum Episcopi duo, Vdalricus Augustanus, & Hartbertus Curiensis, dignum Ordine suo consilium capientes, viam paci quaerunt, eoque rem deducunt, vt ad Principum Iudicium tota causa deferretur. Ad Cinnam, habitus est conuentus. Ibi non modo Fridericus Moguntinus, ad comitatum veniens, facile se purgauit Regi, cupido pacis, eoque promtiori ad ignoscendum; sed Conradus etiam ad obsequium redit, contentus, amisso Ducatu, priuatas opes & auita praedia retinere. Ludolfus autem, vt in auctoritate patris acquiesceret, minime sibi persuaderi passus, obstinato ad extrema animo, contendit Ratisbonam, retrahitque adeo in Bauariam bellum. Insecutus enim Otto Ratisbonam obsidet. Iam per sex hebdomades non vi magis oppugnantium, quam fame premebatur ciuitas, cum Ludolfo visum est Orientali porta, quam Gero Marchio obsidebat, erumpere in hostem. Ibi Arnulphus, praecipuus Bauarici motus auctor, cecidit. Tum demum Ludolfus quoque, factis induciis, se, fortunasque suas, Curiae permisit.† Paulo post patri, venationem exercenti, occurrens, supplex veniam orauit. Cum interea Moguntia quoque rediisset in ius Regis, Otto, sub ipsum anni exitum, Arnstadii, in frequente Curia, Regni, & Domus concordiam restituit. Ducatum tamen Sueuiae non recepit Ludolfus; sed potitus eo est Burchardus, qui Henrici, Bauariae Ducis, filiam Hatwigim in matrimonio habuit.† Caete-

Conuentus ad Cinnam.

Conradus Regi se permittit.

Bellum per Bauariam renouatur.

† Vitich. p. 655.

Ludolfus patri conciliatur.

† v. not. inf.

tes, Burgundiam intrant: quorum non parua manus tam praeliis, quam morbis interiit, caeteri per Italiam reuertuntur in sua.

Caeterum Ludolfum Bruno patruus ſolari modis omnibus ſtudebat, inuitatumque Bonnam hortabatur aequo animo tantiſper cedere paternis imperiis, & ſecundis ſe rebus ſeruare. Paulo ante hunc conuentum † Fridericus Moguntinus obierat, vir dubii erga Regem animi: caeterum ſeueri moris, largus in pauperes, conciones frequenter de rebus diuinis ad populum habere, interdum in eremum ſecedere, & vitam inter anachoretas agere ſolitus; monachorum opibus infenſior, odio, vt ferunt, in Hathumarum, Abbatem Fuldenſem, † a quo duriuscule habitus fuerat, cum aliquando in illud monaſterium relegatus eſſet. In eius locum, conſenſu Cleri & plebis, ſuffectus Wilhelmus, Ottonis Regis, ex nobili foemina generis Slauici, filius, * & Arnſtadii confirmatus eſt. Is a prima iuuentute formatus ad ſacrorum diſciplinam, bonisque literis imbutus, monumentum etiam ſtudiorum ſuorum, Chronicon Praeſulum Moguntinenſium, poſteris reliquit.

OTTO M.

Friderici Moguntini obitus.
† d. 25. Oct.

† Vitich.

Wilhelmi Succeſſoris elogium.

XVIII.

Anno ſequente DCCCCLV. Rex verno tempore in Bauariam profectus, Ratisbonam in poteſtatem accepit, pacatamque fratri prouinciam reſtituit. Is crudeliter paſſim vltus eſt, quos priori motu aduerſarios expertus fuerat. Heroldum adeo, Salisburgenſem Archiepiſcopum, quem conſtabat Hunnos nuper concitaſſe, luminibus orbauit. Otto in Saxoniam vix retulerat pedem, cum denuo Hunni in Bauariam irrumpunt, Sueuiamque ad Syluam vsque nigram populantur. Rex adeſſe ſibi e reliquis Germaniae prouinciis militem ad Auguſtam Vindelicorum edicit. Ipſe cum parua Saxonum manu, (gentem vniuerſam enim Slauica bella detinebant) profectus, inuenit vrbem oppugnari ab hoſte. Hen-

Otto Bauariam pacatam fratri reddit.

Hunni Bauaros, Sueuosque populantur.

§. XVII. *) DITMARVS Lib. II. p. 338. *Wilhelmus de matre quamuis captiua, tamen nobili, & Slauinica, & ex Rege praedicto genitus.*

OTTO M.

Henricus, Bauariae Dux, prohibitus ipse valetudine, copias suas ad edictum miserat. Burchardus etiam Sueviae, nec non Boleslaus Bohemiae Duces aderant cum suis. Francos Conradus, gener Regis, ducebat, velut expiaturus iam prioris anni cum infidelibus societatem. Rex generatim constituit exercitum. Ante Praetorium regale vexillum, ad quod omnes respicerent, erat, imago angeli cum victoria, septum praestantium militum robore.[1] Hunni, longe superiores numero, Germanos adoriuntur a tergo; Bohemosque & Sueuos multitudine suorum vehementer premunt. Sed Rex subsidio veniens laborantibus,[2] hortando pugnantes, & pariter obeundo pericula restituit aciem, grauemque cladem hostibus intulit. Multi in fuga occisi, aut Lyci amnis gurgitibus hausti, castra capta sunt. Ab illo tempore Germania, qui praestantissimus victoriae fructus fuit, Hunnos timere desiit. Exercitus victor Ottonem, vetere more, Imperatorem, Patriaeque Patrem appellauit.[3] Commissum est praelium die S. Laurentio sacra. † Huic deinde Merseburgi Basilicam Otto consecrauit, ex voto quod ea die nuncu-

Ottonis de illis victoria ad Augustam.

† D. 10. Aug.

pa-

§. XVIII. 1) VITICHINDVS p. 656. ita describit exercitum: *Primo diluculo surgentes, pace data & accepta, operaque sua primum Duci, deinde vnusquisque alteri cum sacramento promissa, erectis signis procedunt e castris, numero quasi octo legionum. Ducitur exercitus per aspera & difficilia loca, ne daretur hostibus copia turbandi sagittis agmina, quibus vtuntur acerrime, arbustis ea protegentibus. Primam, & secundam tertiamque legionem direxerunt Boioarii, quibus praefuerunt praefecti Ducis Henrici: nam ipse bello interim aberat, eo quod valetudine corporis laborasset, qua & mortuus est. Quartam vero ordinavere Franci, quorum procurator & rector erat Dux Cunradus. In quinta, quae erat maxima, quae & dicebatur Regia, ipse Princeps, vallatus lectis ex multis militum millibus, alacrique iuuentute, coramque eo Angelus, penes quem Victoria, denso agmine circumseptus. Sextam, & septimam construxerunt Sueui, quibus praefuit Burchardus, cui nupserat filia fratris Regis. In octaua erant Bohemi delecti milites mille &c.*

2) IDEM p. 657. *His dictis arrepto gladio & clypeo, ac sacra lancea, ipse primus equum in hostes vertit, fortissimi militis, ac optimi Imperatoris officium gerens.*

3) IBID. *Triumpho celebri Rex factus gloriosus, ab exercitu Pater Patriae, Imperatorque appellatus est.*

pauerat.† Caeterum Bauariae Dux, non diu recuperato Ducatu fruitus, eodem anno obiit.† Rex prouinciam filio eius, Henrico II. dedit, cui Rixosi cognomen vulgo tribuitur. OTTO M. † Ditm. p. 332. † 955. Kal. Nou.

XIX.

Cum sopitum penitus videretur ciuile bellum, nouus e reliquiis illius motus Saxoniam repente concussit. Vicmannus iunior a Ludolfo, anno praeterito, stimulatus, aduersus Hermannum patruum, Saxoniae Ducem, insurrexerat, criminatus, eum thesauros patris sui expilasse. In partes traxerat Ecbertum, itidem primariae nobilitatis in Saxonia iuuenem, (nepos enim erat Ludolfi, fratris quondam Henrici Regis) & ipsum infestum Ottoni, quod ferox & temerarium ingenium eius acerbius increpuerat. Rex e Bauaria reuersus, causa cognita, Ducem absoluit,† Vicmannum captivum detinuit. Is iam, Ottone aduersus Hunnos profecto, cum a custodibus, vt venatum ire se paterentur, impetrasset, aufugit, atque vna cum Ecberto arma corripit. Victi ab Hermanno Duce, trans Albim se proripiunt, & Rhetarios concitant. Duo erant illius gentis Reguli, Nacco & Stoinefus, fratres ambo, qui ex vicinis Slauis auxilia trahentes, excutere iugum, & proximam Viadro flumini regionem populari audebant. Hos Otto Rex, ab Hunnico bello redux, acri praelio superauit, in quo maxime virtus Geronis Marchionis eminuit.† Vicmannus & Ecbertus, hostes iudicati, ad Hugonem Magnum in Galliam confugere.[1] Paulo post cum in Saxoniam reuertissent, hunc quidem Rex, rogatu Brunonis Archiepiscopi, statim in gratiam recepit: ille Slavis iterum se miscuit. Tandem vero & ipse, deprecante Gerone, impetrauit, vt priuato in praediis vxoris viuere liceret.[2]

Vicmannus & Ecbertus Saxoniam turbant.

† An. 953.

Rhetarios aduersus Regem concitant.

Otto Slauos praelio vincit.

† Vitich. p. 657.

 Dis-

§. XIX. 1) VITICH. p. 658. 2) IDEM p. 659.

OTTO M.
XX.

Noui per Italiam motus. De Berengario querelae.

† An. 954.

Diſtento variis in Germania bellis Rege, Berengarius per Italiam, quos minus fauere potentiae ſuae cerneret, ferocius inſectatur. Proferendi etiam Regni cupiditatem ex morte Alberici Patricii † concepit, cuius dixi praecipuam in vrbe Roma, & prouinciis ab Exarcho quondam regi ſolitis, auctoritatem fuiſſe. Albericus filium reliquerat Octauianum, admodum iuuenem. Is, etſi iam ſacris initiatus erat, ſubnixus Domus ſuae opibus, & clientum ſtudiis, Principatum in Vrbe occupat.[1] Mox defuncto Agapeto, vi & largitione, vt Papa crearetur, effecit, primusque inuentus eſt, qui nomen mutaret. Nam pro Octauiano, Iohannes (forte in memoriam Patrui Iohannis XI.) appellari voluit. Caeterum minime iis moribus, qui Pontificem decerent, praeditus, titulo Pontificatus ad dominationem adſtruendam praecipue vtebatur. Inter haec Berengarius, vrbem Rauennam, caput quondam Exarchatus, in poteſtatem redigit, filioque Adalberto, velut alteram Regni ſedem, tradit.

Otto Ludolfum filium in Italiam mittit.

Otto ſollicitatus crebris literis, ne pateretur diutius Berengarium abuti beneficio ſuo, iuratae fidei, perinde vt iuſti omnis & aequi contemtorem; Ludolfo filio bellum illud delegat: praemium virtutis Regnum ipſum fore pollicetur. Quippe Bruno, Archiepiſcopus Colonienſis, identidem hortabatur, vt acri iuueni, & qui fortunam ipſius nuper ſecuti

Eius res geſtae:

† An. 956.

erant, clientibus, pulcherrimam hanc quaerendae gloriae, & oblitterandae veteris offenſae materiem praeberet.[2] Illius aduentu † erecti ſunt Italorum animi. Sed vrbe Ticino potitus, & profligato Adalberto, conſilium patris, laetosque ſuc-

ceſſus

§. XX. 1) FLODOARD. ad A. 954. *Alberico, Patricio Romanorum, defuncto, filius eius Octauianus, cum eſſet Clericus, Principatum adeptus eſt; quique poſtea, defuncto Agapito, ſuggerentibusque ſibi Romanis Papa Vrbis efficitur.*

2) VITA BRVNONIS, c. 31. *Factum eſt in breui inſtinctu huius conſiliarii, ut filio ſuo, qui perierat, & inuentus eſt, Imperator totam Italiam delegaret.* Ita accipiendus VITICHINDVS, cuius locum nota ſequente dabimus.

OTTO M. Obitus, liberi. † An. 657.

cessus † immatura morte destituit.[3] Germanici Scriptores morbo,[4] Italici quidam vulnere, quod in praelio Adalbertus inflixerit,[5] extinctum scribunt. Exuvias in Germaniam relatas Moguntiae, in aede S. Albani, frater Wilhelmus terrae mandauit. Anno aetatis XXVII. occubuit: relinquens ex Ida coniuge, Ottonem admodum puerum, qui sequente tempore Sueuiam, & Bauariae quoque Ducatum obtinuit: Filiamque Mathildim, quae Obizoni, Marchioni in Italia, claro inter Atestinae gentis maiores, nupsit.

XXI. Bruno Lotharingiam praeclare administrat.

Interea Lotharingiam Bruno, Archiepiscopus Coloniae, frater Regis, prudenter fortiterque regebat. Erat in illo viro summa virtus, & dexteritas in gerenda Republica, literarum vero tantus amor, vt in itinere, & castris etiam libros secum haberet.[1] Saepe quoque Neustriae, & cognatae Domus Regiae negotiis interuenit, praecipue cum Ludouicus Rex An. DCCCCLIV. obiisset. Tum autem ita res constitutae sunt, vt filius eius, Lotharius, regnum quidem retineret; sed Hugoni Magno, iam ante praepotenti, Burgundiae, & Aquitaniae Ducatum insuper concederet.[2] An. DCCCCLVIII. Bruno cum exercitu profectus est aduersus Raynerium Longicollum, Montis in Hannonia Comitem. Is, dum praedia Gerbergae Re-

3) VITICHINDVS p. 659. *Ludolfus autem, filius Imperatoris, cum fidem vult seruare amicis, patria cessit, Italiamque cum eis adiit, quo agente totum fere annum, diem extremum obiit, toti Francorum imperio relinquens suo vulnere vulnus durum.* FLODOARDVS p. 957. *Liudulfus, Othonis filius, qui paene totam obtinuerat Italiam, obiit, sepeliturque Moguntiae, apud S. Albanum.*

4) HERMANNVS ad An. 957. *Luitolfus Dux commissa pugna, Adalpertum vicit, cunctisque sibi vna cum regno Italiae subiugatis, ipse eodem anno apud Plumbiam, immaturo obitu, vita decessit, & magno multorum luctu Moguntiae sepultus est, Ottone filio adhuc paruulo superstite relicto.*

5) DOMNIZO in Vit. Math. p. 638.

§. XXI. 1) VITA BRVNONIS c. 7. *Quocunque circumagebantur tabernacula, aut castra regalia, bibliothecam suam, sicuti aquam dominicam, circumduxit, ferens secum & causam studii sui, & instrumentum: causam in diuinis, instrumentum in gentilibus libris.*

2) FLODOARDVS ad An. 954. *Lotharius puer, filius Ludouici, apud S. Remigium Rex consecratur ab Artaldo Archiepiscopo, fauente Hugone Principe,*

OTTO M.

Reginae, quae a Giſilberto quondam in dotem acceperat, ſibi vindicatum it, Belgicam late turbabat. Brunoni in pago Cameracenſi occurrit vna cum matre, copiasque iungit, Rex Lotharius. Tum ſe videns imparem bello Raynerius, ad diem dictum Valentianas, velut iure acturus, venit. Sed cum obſides, quos petebat Bruno, dare nollet, Archiepiſcopus captum, in exilium ad Slauos miſit, bona fiſco addixit:[3] quae tamen filii eius, Raynerius & Lambertus, poſtea ſub Ottone II. recuperarunt. Anno ſequente, † Bruno Compendii Gerbergam Reginam inuiſens, inter Regem Lotharium, & Hugonis Ducis filios, concordiam ſtabiliuit. Viciſſim Regina & filius, ad Paſchalia Coloniam venerunt, ibique Lotharius vetera pacta Regum, de non ſollicitando ſtatu Lotharingiae, renouauit.[4] Forte Lotharingos aliquot Immo, Loſſiae Comes, ad res nouandas ſollicitauerat. Eos armis compreſſit Bruno, vtque certius in officio contineret, Ducem impoſuit Fridericum, Adalberonis Epiſcopi Metenſis fratrem. Hic eſt Fridericus, qui Beatricem, Hugonis M. ex Hatwige Saxonica filiam, in matrimonio habuit, primusque cenſetur Lotharingiae Superioris, ſeu Moſellanae, Dux: cum Inferiori eodem tempore Godfridus praeeſſet. Ita cum duos ſub ſe Duces Bruno haberet, ipſe Archidux paſſim ab antiquis vocatus eſt.[5]

Raynerium Comitem in exilium mittit.

† An. 959.

Duos per Lotharingiam Duces inſtituit.

Per

ac Brunone Archiepiſcopo, caeterisque Praeſulibus ac Proceribus Franciae, Burgundiae atque Aquitaniae.

3) ID. ad A. 957. Cum eo conferendus SIGEBERTVS ad An. 959. *Bruno Archiepiſcopus, &* ARCHIDVX LOTHARINGIAE, *ſecundas partes in regno fratris ſui potenter & induſtrie adminiſtrans, Raginerium, Montenſem Comitem, qui Longicollus cognominabatur, apud Valentianas euocatum cepit, & irreuocabili exilio damnauit &c.* In Slauos relegatum, Continuator Reginonis, & Annaliſta Saxo memoriae prodiderunt.

4) FLODOARDVS ad An. 959. *Lotharius Rex cum matre Regina Coloniam proficiſcitur in diebus Paſchae, moraturus hac feſtiuitate, cum auunculo ſuo Brunone:* DATAQVE ILLIC SECVRITATE DE REGNO LOTHARIENSE, *& quibusdam acceptis ab auunculo donis, Laudunum reuertitur.*

5) Vid. not. 3.

OTTO M.
XXII.

Per haec felicitas Ottonis, & potentia, cumulata pietatis & clementiae laudibus, late celebrari apud populos: ipſe crebro adiri legationibus, honorari muneribus.[1] Legati adeo a Rege Saracenorum in Hiſpaniis, Abderamene, venerunt. † Ad eum viciſſim legatum cum muneribus miſit Iohannem, Monachum, & deinde Abbatem Coenobii Gorzienſis, qui Corduae per tres fere annos, ſumtum praebente Monaſterio ſuo, commoratus eſt.[2] Itali vero iam plane non ferentes Berengarium, ſublato e viuis Ludolfo, ferocius etiam graſſantem, literis, & legationibus vrgent Ottonem, veniret, Romani Principatus inſignia capeſſeret, iuſtoque tandem imperio recrearet Italiam. Papa Ioannem Diaconum Cardinalem, & Azonem Scriniarium, eius rei cauſa in Germaniam mittit. Walbertus autem, Archiepiſcopus Mediolani, & Waldo Comenſis Epiſcopus, cum Oberto, Marchione Tuſciae, ipſi ad Regem profecti, ne differat ſuum in Italiam aduentum, rogant, hortanturque. Opportuna tum omnia ad eam expeditionem Otto habebat. Itaque conditionibus, quas ſtipulabantur legati Papae, iureiurando firmatis,[3] ante omnia curam ad Regnum in ipſa Germania firmandum intendit. Vnicus erat ex Adelheyde Regina filius Otto, ſeptimum circiter aetatis annum agens.

Exterorum legationes ad Ottonem.

† An. 957.

Otto inuitatur ad capeſſendum Imperium Romanorum.

Filius eius, Otto II. Rex appellatur in Germania.

G Hunc,

§. XXII. 1) VITICHINDVS Lib. III. p. 658. *Crebris victoriis Imperator glorioſus factus atque famoſus, multorum Regum ac gentium timorem, pariter & fauorem promeruit: unde plurimos legatos ſuſcipit, Romanorum ſcilicet & Graecorum, Saracenorumque, per eosque dies diuerſi generis munera, vaſa aurea & argentea, aerea quoque, & mira varietate operis diſtincta vitrea vaſa, eburnea etiam, & omni genere modificata ſtramenta, balſamum & totius generis pigmenta, animalia Saxonibus antea inviſa, eones & camelos, ſimias & ſtruthiones: omniumque circumquaque Chriſtianorum in illo res atque ſpes ſitae.*

2) Conf. VITAM S. IOHANNIS, Abbatis Gorzienſis, in Actis SS. Antverpienſibus ad d. 27. Febr.

3) VITA BRVNONIS, c. 3. *Rex in Italiam ire diſponens, maximam fidelium ſuorum multitudinem Wormatiae condunavit. Vbi conſenſu & unanimitate regni Procerum, filius eius, Otto, Rex eligitur. Indeque progrediens, convenientia* (conuentu) *quoque, & electione omnium Lotharienſium Rex ordinatur.*

OTTO M.

Hunc, Wormatiae Regem a Principibus designatum, in Solemni Pentecostes Aquisgrani, Coloniensis, assistentibus Moguntino & Treuirensi, inaugurauit. Cum vero per aetatem moderari Rempublicam nondum posset, fratri eum Brunoni, & alteri filio Wilhelmo, Moguntino Archiepiscopo, commendat. Ipse per Alpes Penninas † in Italiam mouet. Berengarius, populorum amorem, vt moderato imperio mereri parum curauerat, ita nunc, cum maxime opus esset, frustra requirit. Ne militem quidem obiicere ausus est aduentanti Ottoni; sed ipse, & Villa Regina, & filii, ad arces, quas passim munitissimas habebant, confugerunt. † Otto, frequente omnium Ordinum concursu Mediolani, a Walberto Archiepiscopo, Italiae Rex inauguratus est. Natalitia Ticini celebrauit, praemisso Romam ad praeparanda hospitia Hattone, Abbate Fuldensi. †

Profectio Ottonis Italica.
† Luitpr. VI. 3.
† v. not. in f.
Coronatur Mediolani.
† Ibid.

XXIII.

Romae coronatur Imperator.
† A. 962. 2. Febr.

Initio sequentis anni Romam pergit, exceptusque ingenti concursu, plausuque Romanorum, a Papa, vna cum Adelheide Regina, coronatus est. [1] † Ea dies renouauit speciem illius temporis, quo Carolus M. Augustalem in Occidente titulum instaurauerat. Quantum Otto sibi renouati Romani Imperii laude placuerit, vel sigilla eius, hoc elogium praeferentia, loquuntur. Neque titulum modo Imperii, sed existimationem etiam Romani nominis, quod penitus ab antiquo splendore deciderat,[2] potentia & virtute sua restituit. Etsi vero Pontifici plures ciuitates, & agros libe-

§. XXIII. 1) Diem notauit HEPIDANVS ad An. 964. *Otto a Papa Octauiano benedicitur in Purificatione S. Mariae.*

2) Quam abiectum fuerit Romanorum nomen, LVITPRANDVS testatur, qui ita de Romanis ad Nicephorum Imperatorem, in Legat. ad Nicephorum Phocam, p. 139. *Quos nos, Longobardi scilicet, Saxones, Franci, Lotharingi, Boioarii, Sueui, Burgundiones, tanto dedignamur, vt inimicos nostros commoti nil aliud contumeliarum, nisi, Romane, dicamus, hoc solo, id est Romanorum nomine, quidquid ignobilitatis, quidquid timiditatis, quidquid auaritiae, quidquid luxuriae, quidquid mendacio, imo quidquid vitiorum est, comprehendentes.*

OTTO M.

liberali donatione attribuit: nec minus Pontifex, & Proceres Vrbis iurauerunt, nunquam ſe Berengarii, & Adalberti partibus adhaeſuros;[3] illa tamen tam pulcra concordia parum diuturna fuit. Namque vt Vrbe exceſſerat, Papa primum expoſtulare cum illo per legatos, mox aperte diſſidere coepit. Incertum, qua de cauſa. Proxime verum eſt, Iohannem, cum Ottonem nomine Imperii non contentum, vim quoque & auctoritatem eius aſſertum ire videret, animum ad res nouas conuertiſſe. Neque placari ſe paſſus ab Epiſcopis, Landoardo Mindenſi, & Luitprando Cremonenſi, quos Legatos ad eum miſerat Imperator,[4] Byzantinum adeo ſollicitare Principem, atque Hunnos, vt in Germaniam irrumperent, excitare inſtituit. † Denique Adalbertum, acciuit Romam, ducem daturus partibus. Quod vbi Imperator, qui tum Berengarium in Monte Feretro † obſidebat, intelligit, omiſſa tantiſper oppugnatione, Romam exercitum reducit: inuitabantque ciues, qui fidei ſeruantes, arcem S. Pauli occupauerant. Iohannes & Adalbertus, armis impares, fuga ſe ſubducunt. Romani autem ſacramenta renouantes, adiiciunt: † *nunquam ſe Papam electuros, aut conſecraturos, absque auctoritate Imperatoris, filiique, Regis Ottonis.* Quo facto Imperator Italiae & Germaniae,

Papa Adalbertum in Vrbem recipit.

† Luitpr.

† Monte Feltro.

† Ibid.

G 2

3) LVITPR. Lib. IV. cap. 6. p. 112. *Iusiurandum a Papa Iohanne ſupra pretioſiſſimum corpus Petri, atque omnibus ciuitatis Proceribus, ſe nunquam Berengario & Adelberto auxiliaturum, accepit.*

4) LVITPRANDVS Lib. VI. cap. 6. *His expletis, Landobardum a Saxonia Mindenſem, & Luitprandum ab Italia Cremonenſem, Epiſcopos, cum praefatis nuntiis Romam dirigit, Domino Papae ſe inculpabilem eſſe ſatisfacturum. Quorum etiam militibus hoc Imperator iuſtus impoſuit, vt, ſi ſecus Dominus Papa non crederet,* DVELLO VERVM ESSE APPROBARENT. *Praefati igitur Landobardus & Luitprandus Epiſcopi, Romam ante Domini Papae praeſentiam venientes, tanto ſunt in honore ſuſcepti, vt non eos lateret, quanto ſanctum Imperatorem taedio faſtidiret. Ordinatim tamen, prout eis iniunctum fuerat, enarrant, non iuramento, non duello ſatisfactionem Papa recipere voluit, ſed in eadem, qua fuerat, duritia permanſit.*

OTTO M. Concilium Romanum. Abdicato Iohanne, eligitur Leo VIII. † An. 963.

maniae Episcopos, vna cum Ecclesiae Romanae Cardinalibus, Vrbisque Primoribus, VIII. Idus Nouembr. † ad consilium vocat. In eo conuentu proximum a Principe locum Engilfridi, Patriarchae Aquileiensis, Legatum tenuisse reperio. Illum Walbertus Mediolani, & Petrus Rauennae Archiepiscopi exceperunt. E Germanis Praesulibus Adaldagi Hamburgensis, & Henrici Treuirensis, cum Landoardo Mindensi, nec non Otgero Spirensi, nomina seruata sunt. Imperator, interprete vtens Luitprando, Cremonensi Episcopo,[5] hortatus est Patres, vt Imperio & Ecclesiae pro statu rerum consulerent. Tum grauiter accusatur Iohannes. Cumque neminem, quamuis citatus, ad dicendam causam misisset, sed diras potius intentaret omnibus, abrogatur ei Pontificatus,† & Leo Protoscriniarius, annuente Imperatore, Papa eligitur.

† d. 6. Decembr.

XXIV. De formula noui Imperii Romani.

Reliqua huius Concilii acta, & quae forte in illo de Imperio ipso constituta fuerunt, intercidere. Superest fragmentum Decreti, quo Imperatori ius designandi successoris, & confirmandi Sedis Romanae Pontificis defertur, & Episcopi inuestituram ab eo petere iubentur.[1] Circumfertur etiam Bulla Papae Leonis, reddentis Ottoni, quaecunque Pipinus, aut Carolus M. de Regalibus Italici regni S. Petro tribuissent.[2] Verum de fide harum tabularum multa in vtramque partem disputant viri docti, quae hic discutere non opus est. Quippe ex ipsa rerum serie satis constat, Ottonem idem Imperii ius acquisiuisse, quo Francici ante illum

5) Acta Synodi apud LVITPRANDVM l. c. *His auditis Imperator, quia Romani eius loquelam propriam, id est, Saxonicam, intelligere nequibant, Luitprando, Cremonensi Episcopo, praecepit, vt Latino sermone haec Romanis omnibus, quae sequuntur, exprimeret.*

§. XXIV. 1) Extat in Decreto Iuonis: & in Compilatione Gratiani, LXIII. c. 23. item apud GOLDASTVM. Const. Imp. T. I. p. 122.

2) BARONIVS ad An. 964. n. 21. PAGIVS ad e. a. num. 6. & 7.

illum Imperatores gauiſi fuerant. Id ſequentes etiam ex aliis familiis Imperatores tenuerunt, hac ſeruata ratione, vt, quem Germani Principem elegiſſent, illum Itali quoque Regem atque Imperatorem acciperent. Nec minus legitimam in electione Pontificis auctoritatem, qualem olim habuerant Imperatores,[3] nec non inueſtituram, vti vocant, Epiſcoporum, per baculum & annulum, exercuerunt, vſque ad feralem diſcordiam, quae tempore Henrici IV. exorta eſt. Imperium hoc coniunctione Germaniae & Italiae praecipue ſtetit, vnde Romano-Germanicum vocatur. Vim autem Principatus eximia populorum libertas temperauit. Imperatores in Eccleſias munifici, nobiles & fortiſſimum quemque praefecturis ac beneficiis ſibi deuinxere, ciuitates priuilegiis amplificarunt. Caeterum ex inſtitutis, quae in publicis priuatisque rebus viguerunt, multa tempus deleuit; nonnullorum etiamnum veſtigia durant.[4]

XXV.
Tumultus in Vrbe aduerſus Ottonem.

Cum Otto, leuaturus Vrbem hoſpitiis, militem fere omnem dimiſiſſet, Iohannes per clientes largitionibus, & promiſſis, turbulentam plebem aduerſus Caeſarem, & Leonem Papam ſuſcitat. Sed ad primum ille tumultum, cum paucis quos in Vrbe retinuerat, occurrit ad pontem Tiberinum.† Facile popularem furorem exercitatus miles compreſſit, quosque laetior ſucceſſus ad ſimiles auſus inuitare potuiſſet, exterruit. Iamque ſuſpecta habens omnia, licentius graſſatur, adeo vt Imperator ipſe vix cohibere poſſet. Poſtero die Romani centum obſidibus datis, ad tumulum B. Petri in verba Caeſaris denuo iurarunt. Verum Leo, quo gratiora Pontificatus auſpicia beneficio faceret, precibus a Cae-

† d. 3. Ian.

3) De antiqua Imperatorum circa Pontificis electionem auctoritate, conf. Geſchichte der Teutſchen, P. II. Anmerk. p. 113.

4) Inſtituta haec adumbrare tentauit SIGONIVS de Regn. Ital. Lib. 7. fin. Sed excuti diligentius merentur.

OTTO M.

Iohannes, profecto Caesare, Romam redit.

a Caesare, vt redderet obsides, impetrat. Cum inde se ad expugnandum Spoletum, & Camerinum, quae praesidiis Adalbertus tenebat, contulisset, aduersa factio, maxime foeminis aliquot impellentibus, Iohannem in Vrbem recipit. Leo, vix fugae locum inueniens, ad Ottonem in castra se proripit. Tum Iohannes subito coacta Synodo, † cui plures Cardinales, & suburbicarii Episcopi, qui nuper eum damnauerant, interfuere, Leonem vitio creatum pronuntiat. Cum paulo post, pridie Idus Maii, excessisset e viuis, in eius locum Benedictus, Cardinalis Diaconus, qui & ipse iurauerat, inconsulto Caesare nunquam electum, aut inauguratum iri Pontificem, Papa creatur, populumque sacramento aduersus Ottonem obstringit.

† An. 964.

Paulo post moritur. Eligitur Benedictus.

XXVI.

Caesar Romam reuertitur.

Sed in tumultibus his vrbanis plus impetus, quam virium erat. Itaque cum Romanos Otto, positis ad Vrbem castris, semet atque vna Benedictum dedere compulisset, † iterum in aede Lateranensi ex Germanicis Italicisque Episcopis, & Romana Nobilitate, Concilium habetur. Adductus in medium ab iisdem, qui elegerant, Benedictus, vestimentis Pontificalibus indutus, cum periurii in Imperatorem vehementer accusaretur, intercedit Caesar, (adsidebat enim Papae Leoni) vt dicere causam, aut deprecari culpam liceret. † Tum improbe se cathedram Romanam inuasisse confessus, pallium, & quam manu gestabat, ferulam, Leoni tradidit. Is ferula confracta, procidenti ad pedes Benedicto, planetam & stolam, indumenta Presbyterorum, adimit, edicitque inuasorem Sedis Apostolicae, Pontificatus & Presbyterii honore priuatum, quamuis grauiora meruisset, Ottonis Augusti gratia, poenam exilio luiturum. Otto post Solemne SS. Apostolorum, Roma excedit: qua aestate

† IX. Kal. Iul.

Leonem Papam restituit.

† Luitpr.

Is in Synodo Benedictum exauctorat.

aeſtate per intemperiem coeli, grauis exercitum lues afflixit. OTTO M.
Inter alios Henricum, Treuirenſem Archiepiſcopum, & Godfridum, Lotharingiae Ducem, letho dedit. † Interea & Berengarius, & vxor Villa, in poteſtatem venerant. Hi Bambergae habiti ſunt. Neque Berengarius diu fortunae ſuae ſuperuixit. † Iuſta ei Regio more perſoluta ſunt. Villa Regina, poſt tot viciſſitudines & ludibria fortunae, viduitatem ſuam ſacro velamine inuoluit. Benedictus vero, iuſſu Imperatoris, ab Adaldago Archiepiſcopo Hamburgum abducitur. In hac vrbe deceſſit, † eam vitae ſeuerioris, doctrinaeque opinionem paſſim apud Epiſcopos Germaniae relinquens, vt eximium Pontificem futurum fuiſſe iudicarent, ſi legitima ratione ad id faſtigii perueniſſet.

Imperator Otto Roma diſcedit. † Contin. Regin.

Berengarius in exilium mittitur Bambergam. † Ob. An. 966.

Benedictus Hamburgum. † An. 965.

Imperator, celebratis Ticini Natalitiis, ineunte anno DCCCCLXV. in Germaniam reuerſus, maxima laetitia, & gratulatione omnium Ordinum excipitur. Otto Rex, & Wilhelmus, Archiepiſcopus Moguntinus, obuiam progreſſi, Wormatiam deduxere, quo & frater Bruno venit. Pentecoſtalia Coloniae vna celebrantibus mater Mathildis adfuit, & ſoror vtraque, Gerberga, Francorum Regina, cum filiis Lothario Rege, & Carolo, nec non Hatwigis, Hugonis M. vidua. † Hic inter Reipublicae curas de familiae quoque rebus agitata ſunt conſilia. Quippe duarum ſororum filii, cum Lotharius Regium quidem nomen teneret, in Hugonis autem Domo plus eſſet potentiae, rationes ita disiunctas habebant, vt vix viderentur alterutri ſalui eſſe poſſe, ſaluis alteris. Huic Lothario Imperator Emmam, priuignam ſuam, deſpondit, veteres neceſſitudines nouo firmaturus affinitatis vinculo. Inde ſe recepit ad Saxones ſuos. Bruno autumnali tempore, † in Franciam Occidentalem, vt rationem

XXVII.

Reditus Imperatoris.

Conuentus Domus Auguſtae Coloniae.

† Flod.

† An. 965.

OTTO M.

Brunonis obitus.

nem aliquam ſtabiliendae inter ſororum filios concordiae quaereret, profectus, Remis obiit, V. Id. Novembris. Ab eo tempore ſumma in Lotharingiae rebus apud Imperatorem gratia & auctoritate fuit Theodericus, Metenſis Epiſcopus, cognatus ipſius, & Brunonis quondam alumnus.

* XXVIII.

Adalbertus in Italia caput erigit.
† An. 965.

Interea pars Longobardorum, reuerſo in Germaniam Imperatore, Adalbertum ad regnum recuperandum excitant.† Guido etiam, Mutinenſis Epiſcopus, ad Ottonem in Saxoniam venit, ſpecie obſequii, (erat autem magnis nuper ab eo beneficiis ornatus) reuera vt exploraret Germaniae res, numquid opportunum Adalberti conatibus inueniret. Sed deprehenſa fraude captus in exilium ad Slauos relegatur.

Is a Burchardo, Sueuiae Duce, vincitur.

Aduerſus Adalbertum Burchardus, Alemanniae Dux, mittitur. Is adiunctis ſibi militibus quibusdam Italicis, quorum certa fides in Imperatorem erat, praelium committit cum hoſtibus. Victus Adalbertus, amiſſo etiam fratre Guidone, intra montium ſeſe latebras abdidit. † Eodem anno, defuncto Leone Papa, Romani per legatos ab Imperatore, vt auctor eligendi Pontificis fieret, petunt. Cum iis Otgerum Spirenſem, & Luitprandum Cremonenſem Epiſcopum ad habenda Comitia remittit, in quibus adeſſe vna cum Clero, delectos e Nobilibus & Populo mos adhuc erat. Electus Iohannes, Epiſcopus Narnienſis, retentoque nomine, Iohannes XIII. appellatus eſt.* Sed Nobilitatem cum ſuperbius habere videretur, vehementer aduerſam expertus, cedere Vrbe, atque in Campaniam fugere coactus eſt.

† Contin. Regin.

Iohannes XIII. Papa eligitur.

Impe-

§. XXVIII. * CONTINVATOR REGINONIS, ad An. 965. *Eodem etiam anno Dominus Leo Papa obiit. Tunc legati Romanorum, Azo videlicet Protoſcriniarius, & Marinus, Sutrienſis Eccleſiae Epiſcopus, Imperatorem pro inſtituendo, quem vellet, Romano Pontifice, in Saxoniam adeuntes, honorifice ſuſcipiuntur, & remittuntur, & Otgerus, Spirenſis Epiſcopus, & Linzo, Cremonenſis Epiſcopus, cum iisdem Romam ab Imperatore diriguntur. Tunc ab omni plebe Romana Iohannes, Narnienſis Epiſcopus, eligitur, Sedique Apoſtolicae Pontifex inthronizatur.*

OTTO M.

XXIX.

Imperator, vt finebant Germaniae res, ad confirmandum Italiae ftatum, ac afferendum inprimis Papam animum conuertit. Itaque Anno DCCCCLXVI. praeparatis Wormatiae, quae ad illam expeditionem neceffaria erant, circa tempus autumni per Raetos Curienfes iter agit. In citeriori primum Italia fautores Adalberti armis iudicioue coërcuit. Inter alios Epifcopus Placentiae, Sigulfus, miffus eft in exilium. Interea Romani Iohannem Papam in Vrbem receperant: cumque Romam veniffet Imperator, habita de auctoribus turbatae tranquillitatis publicae quaeftione, tredecim ex illis laqueo fupplicium adierunt. Sequente anno, † Rauennae in vetere Imperatorum palatio, Solenni Pafchatos, frequentem conuentum Principum habuit. Vbi Legati ab Orientis etiam Imperatore, Nicephoro Phoca, adfuerunt. Is in praefente Imperii, rerumque Italicarum conuerfione, minime quiefcendum fibi putabat, praefertim cum Adalbertus, recuperandi regni cupidine flagrans, maximopere follicitaret auxilium. Otto autem, vt Imperium, fingulari virtute fortunaque partum, eo magis firmaret, communicato cum Iohanne Papa confilio, filium Ottonem in confortium eius adfcifcere ftatuit. Hic annos circiter quatuordecim natus erat, cum Romae Fefto Natalitiorum † coronam acciperet. Primam aetatem Guntherus, e Coenobio S. Galli monachus, litteris imbuerat. Pater autem regnandi artes vfu & exemplis fuis docturus, mature illum publicis negotiis admouit. Quoties libellos Latine fcriptos, aut epiftolas accipiebat, vtebatur interprete filio, vt a teneris animum nofcendae Reipublicae, capiendisque confiliis adfuefaceret.

Imperator in Italiam mouet.

Rauennae Conventum agit.

† An. 967.

Legati a Nicephoro.

Otto II. Romae coronatur Imperator.

† An. 967.

XXX.

Ab Vrbe Roma, comitante Adelheydi Augufta, & filio Ottone in Campaniam progreffus eft, in animo habens

Otto Apuliam &

H Apu-

OTTO M. Calabriam adiicere Imperio tentat.

Apuliam & Calabriam, tanquam ſuo debitas Imperio prouincias, poteſtati Graecorum eripere. Neque id arduum videbatur poſtquam Principes Capuae, Beneuenti, & Salerni, in fidem eius ſe contulerant. Operam inprimis ſuam offerebat Pandulphus Capuanus, quem Spoleti etiam & Camerini Ducem creauit. Facili negotio loca nonnulla per Apuliam occupata ſunt; Barium vero, maritima vrbs, fruſtra tentatur.† Inter haec factis induciis Luitprandum, Epiſcopum Cremonae, cuius ſolertiae plurimum in grauiſſimis Imperii rebus tribuebat, Conſtantinopolin ablegauit,† vt procurandae paci operam daret, vnamque ex filiabus Romani Imperatoris, ac Theophanae Auguſtae, (Nicephori nunc coniugis) pro Ottone Iuniore in matrimonium peteret. Sed Nicephorus ſuperbe Luitprandum accipiens, vehementer cum illo expoſtulat, quod titulum Imperatoris Otto ſumſerat, quodque Romam Vrbem, & Principes Capuae, Beneuenti, & Salerni, ſuae vindicabat ditioni: multa in Germanorum, & Saxonum inprimis, ludibrium iaciens, paupertatem, ſtuporem, temulentiam exprobrans, ſemetipſe diuitiis & claſſe ſua iactitans. Iohannes etiam Papa Legatos ad Nicephorum, qui faciendam cum Ottone pacem ſuaderent, miſerat. Hi, quod in litteris Nicephoro Graecorum Imperatoris nomen adſcriptum erat, dum Otto Romanorum Imperator Auguſtus vocaretur, in carcerem coniecti ſunt. Adeo Graeci, cum Imperii vim ipſam dudum per inertiam amiſiſſent, titulis & inani ſpecie ducebantur. Itaque Nicephorus, Ottonis amicitia repudiata, foedus cum Adelberto (nam & is Legatum eodem tempore Conſtantinopoli habebat) pangere maluit, pollicitusque pecuniam ad conducendos milites, ipſe claſſem in Italiam miſit.†

† An. 967.

Luitprandi Legatio ad Nicephorum.

† An. 968.

† v. not. in f.

Inde

OTTO M.

XXXI.

Bellum per Apuliam & Calabriam.

† Ditm.

† A. 969. d. 10. Dec.

Pax cum Iohanne Tzimiſce.

Nuptiae Ottonis II. & Theophaniae.

† An. 972.

Inde bellum atrox recruduit. Graeci Ottonis militem, dolo illectum, ex inſidiis male mulctant. Otto autem, acrior ex clade, dum ipſe Neapolim obſidet, Guntharium & Sigfridum, eximios belli Duces, ambo Saxones, tributa per Apuliam & Calabriam exigere iubet.† Illi Graecos paſſim caedunt, plurimosque captos, truncatis naribus, Conſtantinopolim dimittunt. Inter haec † cum occidiſſet Nicephorum Iohannes Tzimiſces, inque locum eius Auguſtus appellatus eſſet, non pacem modo, qua ipſe ad firmanda Principatus initia opus habebat, cum Ottone lubens iniit, ſed affinitatem etiam iunxit, Theophaniam, (cuius amitam Theodoram in matrimonio habebat) filio deſpondens. Ad eam deducendam Otto ſplendidam Legationem miſit, cuius principes fuerunt Gero, Archiepiſcopus Coloniae, & Metenſis Epiſcopus, Theodericus. Vbi Romam appulit, Virginem ſacro ritu Pontifex, in ſponſi Auguſti manum addixit, ipſamque coronauit Auguſtam. † Caeterum initae cum Iohanne Tzimiſce pacis videtur fuiſſe ſumma: vt ille Ottonem Occidentis Imperatorem agnoſceret, Romam cum Exarchatu, Principes etiam Capuae, Beneuenti, & Salerni ipſius imperio permitteret: Ducatus autem Neapolitanus, & quicquid Graecis per Apuliam & Calabriam ſupererat, in iure & poteſtate illorum maneret.* Haec cum Orientis Principe concordia ſpem omnem Adalberti, atque aſſeclarum eius, intercepit.

XXXII.

Germanica: Luſati in prouinciam redacti.

Abſentibus Auguſtis, Saxones aduerſus Slauos in armis fuere. Luſatos tumultuantes Gero Marchio perdomuit.

§. XXXI. * Vulgo ſcribunt Ottonem Apuliam & Calabriam acquiſiuiſſe Imperio ſuo. Ipſe PAGIVS ita cenſuit ad A. 971. n. 6. Verum ANONYMVS SALERNITANVS, quem CAMILLVS PEREGRINVS edidit, Auctor eſt, Ottonem vtramque prouinciam Iohanni Tzimiſci reliquiſſe.

OTTO M. muit. Hoc vltimum militarium operum Germanae virtutis ſeni fuit. Namque cum filium, quem vnicum habebat, amiſiſſet, pertaeſus militiae, Romam contendit, armaque in ara B. Petri deponens, opes ſuas Deo vouit. Reuerſus in Saxoniam Gernrodae, in auito agro, prope ſiluam Hercyniam, extruxit monaſterium, & ampliſſimis attributis praediis, regendum viduae filii ſui tradidit. † Rhetarios Hermannus, Saxoniae Dux, & Theodericus Marchio, cuius curae Septentrionalis Saxoniae limes commiſſus erat, compreſſere, pacemque victis dederunt. † Neque continuit ſe Vicmannus, impatiens quietis. Forte Seliburus Vagriorum, & Miſteuoius Abotritarum Reguli, mutuis odiis infeſti, rapinis inuicem & caede graſſabantur. Ille, cum iudicio de vi damnatum, Hermannus Dux pecunia mulctaſſet, apertam iam defectionem parans, Vicmannum ad partes vocat. Qui dum apud vicinos Danos auxilia conducit, Seliburus obſeſſus ab Hermanno ad deditionem compellitur, oppidum Vagriorum diripitur. Repertum eſt in praeda ſignum aeneum, priſca Slauorum religione ſacrum, quod Saturni fuiſſe, interpretatione Latina, ſcribit Vitichindus.[1] Seliburo ademta prouincia, filioque data eſt. Vicmannus ſpem in Vagriis deficere videns, vt, qua iam ſola ratione poterat, odium in Imperatorem expleret, ad interiores Slauos ſecedit: iisque contra Miſiconem, Polonorum Principem, inſigni erga Ottonem fide, ducem ſe praebet. † Hic eſt Miſico, ſiue Micislaus, qui ſtabilem in Polonis Principatum condidit, eiusque gentis nomen inter Slauicas maxime illuſtrauit. Idem & Chriſtiana ſacra, ducta Dom-

† Vitich.

Pax Rhetariis data.

† An. 961.

Abotritarum & Vagriorum bellum.

Micislai, Polonorum Ducis, elogium.

† Vitich.

§. XXXII. 1) VITICHINDVS p. 660. *Vrbis praedam ſuis militibus donauit, ſimulacro Saturni ex aere fuſo, quod ibi inter alia vrbis ſpolia reperit, magnum ſpectaculum populo praebuit, victorque in patriam remeauit.* FABRICIVS Crodonis hoc ſignum fuiſſe autumat.

Dombroua,Boleslai,BohemiaeDucis,filia,fuſcepit,populoque intulit.† Iam vero ingruens bellum, adiutus a ſocero, fortiter profligauit. Vicmannus ipſe praelio victus, cum deprehenderetur a victore milite, negat ſe cuipiam, praeter Micislaum, arma traditurum. Sed dum ille arceſſitur, fatiſcens vulneribus ei, quem circa ſe nobiliſſimum ex hoſtibus videt, gladium porrigit, iubetque ad dominum deferre, victoriae ſignum: *eo ſe munere iactet apud Imperatorem, ſiue ille miſereri caedis propinqui, ſiue laetari de hoſte peremto voluerit.* Sic locutus, ad Orientem, pro vetere orantium more, conuerſus,[2] inter ipſas preces, quibus fugientem animam Deo commendabat, expirauit. Vir ſtrenuus haud dubie, ſed ſuo, & Reipublicae damno. Micislaus arma Ottoni, velut opima ſpolia, transmiſit in Italiam.

OTTO M.
† v. not. in f.
Vicmanni interitus.

XXXIII.

Imperator eodem tempore conſilium Chriſtiana ſacra per Slauorum regiones ſtabiliendi, quod dudum conceperat animo, perfecit. Praecipuam eorum ſedem Magdeburgi conſtituere viſum, quam vrbem modis omnibus amplificare cupiebat. Praeterea Epiſcopatus fundare Miſnae ad Albim, Mersburgi adSalam,& Cizae ad Eliſtrum: Hauelbergenſem vero &Brandenburgenſem eidem adſcribereMetropoli,cum ab initio ſub Moguntina fuiſſent. Quae poſtquam Rauennae in Synodo,† conſentientibus Moguntino, & Halberſtadienſi, in cuius dioeceſi Magdeburgum erat, confirmata eſſent; Imperator eam Eccleſiam Adalberto, monaſterio S. Maximini prope Treuiros quondam alumno,commiſit. Is ante aliquot annos ex ſuo coenobio protractus, & Epiſcopus ad doctrinam Chriſtianam Ruſſis annunciandam ordinatus fuerat.

Archiepiſcopatus inſtitutus Magdeburgi.
Epiſcopatus Miſnae, Mersburgi, Cizae.
† An. 968.

2) VITICH. p. 661. *Conuerſus ad Orientem, vt potuit, patria voce Dominum exorauit, animamque multis miſeriis & incommodis repletam, pietati Creatoris omnium effudit.*

OTTO M. rat. Sed cum nihil apud ferocem gentem proficeret, Weiſſenburgenſe in Alſatia monaſterium acceperat a Rege. Iohannes Papa nouo Metropolitano pallium ipſe coram dedit, ac vna cum aliis praerogatiuis, Primatis titulum contulit, quo vltra reliquos Germaniae Magnae Praeſules eminerer, Moguntini autem, Colonienſis & Treuirenſis dignitatem aequaret. Miſit praeterea Guidonem, Epiſcopum Syluae Candidae, Romanae Eccleſiae Bibliothecarium, & Benedictum Cardinalem, qui vna cum Epiſcopo Halberſtadienſi, Magdeburgi feſtis Natalitiis, illum introduxerunt.† Adeſſe ad hanc celebritatem Epiſcopos & Proceres Saxoniae iuſſerat Imperator, eamque auxit Adalbertus, cum inter ipſa inaugurationis ſolennia, Burchardum Miſnenſi, Boſonem monachum Mersburgenſi, Hugonem Cizenſi Eccleſiae primos ſacrauit Epiſcopos. Hauelbergenſis etiam, & Brandenburgenſis Praeſul, nouo Metropolitano fidem & obſequium profeſſi ſunt, nec non Iordanus, Epiſcopus Poſnaniae, in qua vrbe, ad Wartam fluuium ſita, prima in Polonis Eccleſia nuper condita fuerat. Haec inſtituta, quanquam ad cultum Dei O. M. praecipue pertinerent, haud parum quoque profuerunt ad Rempublicam. Quippe non Ducum magis aut Comitum auctoritas, quam reuerentia ſacrorum, ad continendas in officio nationes recens edomitas valuit. Sed populi ipſi quoque cum ſtabiles ſedes, amoremque patriae accepiſſent, diligentius terram colere coeperunt, atque cum ingeniis hominum ipſa natura ſoli viſa eſt miteſcere.

† An. 970.

Inauguratio noui Archiepiſcopatus.

XXXIV. Altenburgi in Vagriis etiam, incertum quo tempore, Epiſcopum Otto inſtituit, qui Slauos iuxta mare Balthicum, ad Panim fluuium vſque colentes, cura ſua complecteretur. Pragae quoque, illius auſpiciis, Epiſcopatus a Boleslao II. Du-

Epiſcopatus Altenburgi in Vagriis conditus. Item Pragae.

ce

OTTO M.

ce conditus, & Ditmaro, Monacho Saxoni, datus eſt. Eum Moguntinus conſecrauit: cuius ſacrum ius in Bohemiam, vſque ad Caroli IV. Regnum durauit. Ita Otto, propagata per Danos ac Slauos re Chriſtiana, Caroli M. qui Saxones ad eam adduxerat, in religionem merita, non aequauit modo, ſed etiam vicit. Quin & Ruſſorum tentata conuerſio fuit, cuius gentis nomen hoc ſeculo fama Regis Ingori, qui claſſem aduerſus Conſtantinopolin emiſit, inclaruit. Illo defuncto, regnum vxor Helga tenuit, atque facta pace cum Graecis, ipſa Conſtantinopoli Chriſtiana ſacra, ſimulque Helenae nomen, ſuſcepit. Haec eſt Helena Regina, cuius rogatu miſſum ab Ottone ad erudiendam Ruſſorum gentem Adalbertum Epiſcopum ſupra ſcripſi.† Nec minus apud Hunnos ſalutaris doctrinae ſemina ſpargi coeperunt: ſatagente inprimis Pilegrino, Epiſcopo Paſſauienſi. Is antiquum ius Eccleſiae Laureacenſis, (Metropolim fuiſſe fama ferebat*) renouatum ibat. Sed haec ſub Ottonis III. Imperio demum tulere fructum, cum totius gentis Hunnorum ſecuta eſt conuerſio.

Ruſſorum conuerſio tentata.

† v. not in f.

Itemque Hunnorum.

XXXV.

Anno demum DCCCCLXXII. Imperator, vna cum filio, Germaniae regiones reuiſit. Sequente anno Magdeburgi aliquantiſper commoratus, Quedlinburgi ſplendidum conuentum, ad Solemne Paſchatos habuit, cuius celebritatem auxerunt Imperatoris Byzantini, nec non Bulgariae Regis, aliorumque Principum exterorum Legati. Quippe ſolebant Imperatores & Reges Germanici, diebus feſtis, Proceres ad comitatum, ſiue, vt iſtius aeui Scriptores appellant, Curiam, euocare, cumque illis, patrata re diuina, conſultare de Republica, & iuri dicundo vacare. Tum maxime largi apparatus, & ſubinde militares ludi, gratiſſi-

Auguſtorum reditus in Germaniam.

Splendida Curia Quedlinburgi.

§. XXXIV. *De antiqua Eccleſia Laureacenſi, v. Geſchichte der Teutſchen, XIII, 36.

OTTO M. Micislai Ducis, & Vdonis Marchionis lites.

tiſſimum ſeculo bellicoſo ſpectaculum, amabantur. In hoc conuentu ſopiuit Otto grauem, inter Vdonem Marchionem, & Micislaum Polonorum Ducem, diſcordiam, quae, dum ipſe abeſſet in Italia, in apertum bellum eruperat.† Ibidem Hermannus, Saxoniae Dux obiit. Funus Luneburgum, quod ille auitum oppidum, addito caſtro, fundatoque inſigni monaſterio S. Michaelis, amplificauerat, Bernhardus filius deduxit. Is Ducatum quoque patris ab Imperatore accepit.

† v. not. in f.

Hermannus Saxoniae Dux moritur.

XXXVI. Ottonis obitus.

Martisburgi Otto Legatos Principis Saracenorum ex Africa, cum muneribus venientes, audiuit. Inde progredientem in Thuringiam, Memlebae, Nonis Maii, ſubita morbi vis oppreſſit.† Statim, quotquot in comitatu erant, in Ottonis Iunioris, iam verum regnum adeuntis, verba iurant. Is patri iuſta perſoluit Magdeburgi, viſiturque tumulus in primario templo, iuxta priorem vxorem, Editham, Eduardi, Anglorum Regis, filiam. Ex illa genuerat Ludolphum, & Luitgardin, Conradi, Lotharingiae Ducis, coniugem, quae & ipſa ante patrem obiit.[1] Ex Adelheidi, praeter Ottonem II. filias Adelheidin, & Mathildin, reliquit. Quarum illa Eſſenſi, haec Quedlinburgico coenobio praefuit. Sed fama ſtirpe perennior fuit, adiecitque Magni cognomen, quod virtute, moribusque haud minus quam felicitate promeritus & potentia, in dubio reliquit, plusne Romanum illi Germanicumue nomen debeat? Saxonia praeſertim acceptum refert, quod aeris, & argenti venas in Hercynia ſilua, prope Goslariam, primus aperuit.[2]

† A. 973.

Sepulcrum: Matrimonia: Liberi.

Metallifodinae in Saxonia.

LIBER

§. XXXVI. 1) DITMARVS pag. 339. de Luitgardi: *In Eccleſia Chriſti Martyris Albani, flebiliter eſt ſepulta, cuius fuſum argenteum in eius memoriam ibi eſt ſuſpenſum.*

2) DITMARVS Lib. 2. *Temporibus ſuis aureum illuxit ſeculum apud nos, inuenta primum argenti vena.* OTTO FRISING. VI. 24. *Primusque venas argenti & aeris, iuxta ciuitatem Goslariam in Saxonia inuenit.*

LIBER TERTIVS.

OTTO II.

OTTO II.

I.

Ottonis II. initia.

Ottonis II. autem initia non omnino reſponderunt expectationi. Multa enim impotenter feciſſe, & Theodericus inprimis, Slauici limitis praefectus, clarus militia vir, eoque apud Regem valens, ſpecie ſeueritatis, crudelia ſaepe conſilia texiſſe, arguitur †. Adelheidis Auguſta, aliquandiu regnum filii conſilio iuuit. Vbi vero, Theophania, vti videtur, muliebri aemulatione aduerſus ſocrum nitente, imminui auctoritatem ſuam ſenſit, in Burgundiam, ad fratrem Conradum Regem, ſeceſſit. [1] Sed ipſe vſus correxit, quae forte initio incautius conſulta. Prima Ottonis in Haraldum, Regem Danorum, arma.[2] Ille deletis Saxonum coloniis, reparauerat ingens vallum, quod olim Gotricus Rex, ad arcendas Germanorum irruptiones, inter Sliam atque Eidoram, excitauerat.* Imperator contracto in Saxonia exercitu, munimenta perrumpit, locatisque prope Slesuicum caſtris, limitem hunc nouis praeſidiis firmat. [3]

† Ditm. p. 343.

Bellum aduerſus Danos.

II.

Henricus, Dux Bauariae, res nouas molitur.

† v. not. in fin.

Maioris aleae bellum ſuſcitauit Henrici, Bauariae Ducis, ambitio. Is regnum affectare in Bauaria arguitur †, adſtipulante maxime Abrahamo, Epiſcopo Friſingenſi. Simul & Boleslaus Bohemus ſtudet rebus nouis,

 venit-

§. I. 1) ODIL. Vit. ADELH. c. 4.

2) LAMB. SCHAFN. ad A. 974. *Eodem anno perrexit Imperator contra Haraldum, in Scleoswig.*

* De hoc Danici limitis munimento, vulgo *Danewirk*, (Danorum vallum) v. TORFFAEVS in Trifol. Hiſt. p. 41.

3) DITMARVS lib. III. p. 342. *Otto Danos ſibi rebelles petens ad Sleswyk properauit. Ibi etiam hoſtes ſuos foueam, quae ad defenſionem patriae parata eſt, & portam, quae Wieglesdor* (al. Heggedor) *vocatur, armis praeoccupare videns, conſilio Bernardi Ducis, & aui meimet, Henrici Comitis, omnes has munitiones viriliter exſuperat.* Paucis interiectis addit: *Vrbem vnam in his finibus Caeſar aedificans praeſidio firmat.*

OTTO II. venitque in partem Micislaus, Polonorum Dux, cui cum Vdone, Marchione Misnensi, bellum erat. Initio spes fuit nascentem rebellionem, antequam vires acquireret, opprimere. Henricus Dux euocatus ad Curiam, conuictusque prauorum consiliorum, Imperatori se permisit, priuatusque Ducatu, Ingelhemi in custodiam datus est.[1] Boioariam vero Imperator attribuit Ottoni, Ludolphi filio, Alemannorum iam Duci, qui ab eo tempore vtrumque Ducatum tenuit.[2]

III. Otto in Bohemiam mouet.

Ipse in Bohemiam exercitum ducit, vbi tamen ad Pilsinam oppidum infeliciter rem gerit.[1] Vdo quoque Marchio a Micislao, Polonorum Duce, proelio vincitur.[2] Interea Henricus Dux fallit custodes, properatque in Bauariam, & vrbem Passauium, cuius Episcopus Pilegrinus Imperatori fidelissimus erat, occupat. Tum quoque Henricus, Augustanus Episcopus, itemque Henricus, Carinthiae Marchio, arma pro eo capiunt. Sed Otto, nouus Bauariae Dux, subito e Bohemia, quo copias Caesari adduxerat, superuenit, Passauium recuperat, ipsumque Henricum Ducem capit. Imperator in Saxoniam reuersus, Magdeburgi finem imposuit ciuili bello. Adest enim Boleslaus magnisque muneribus Caesarem placat.[3] Ibidem iudicium in reos instruitur.† Henricus Dux Vltraiectum, Episcopus Augustanus in monasterium Verthinense relegantur.[4] Pilegrinus autem, Episcopus Passauiensis, praeter fidem in Imperatorem, nauata feliciter in conuertendis Hunnis opera cla-

Pax Magdeburgi.

† 978.

§. II. 1) DITM. p. 342.

2) Otto vocatur Dux Alemannorum & Boioariorum in Diplomate ap. MABILLONIVM *T. IV. Annal. Ord. S. Benedicti* Lib. XLIX. n. 14. p. 9.

§. III. 1) DITM. p 343.

2) AVCTOR VIT. S. ADALB. PRAGENS. n. X. p. 866. *Actum est bellum cum Polonianis: Dux eorum Misico arte vicit; humiliata Teutonorum magna anima terram lambit. Otto, pugnax Marchio, laceris vexillis terga conuertit.*

3) LAMB. SCHAFNAB. ad A. 978. *Ad Imperatorem venit in Pascha, Bolislaus, qui honorifice susceptus, magnisque muneribus ab Imperatore oneratus, rediit domum.*

4) ID. l. c. *Aderat & Henricus, cum alter*

clarus eſt, meruitque adeo, vt Benedictus VII. Papa titulum Archiepiſcopi Lauriacenſis, vnaque pallium, & Ius Metropolitanum per Pannoniam ſuperiorem ei concederet.[5] Eumque titulum & Otto peculiari diplomate confirmauit.[6]

OTTO II.

IV. Lotharingica. Raynerius & Lambertus Hannoniam infeſtant.

Lotharingiam turbant Raynerius & Lambertus, filii Comitis Raynerii Longicolli, quem a Brunone, Archiepiſcopo Colonienſi, cum Lotharingiam is pro fratre regeret, in exilium miſſum ſupra ſcripſimus. Illi iam adfinitatibus in Neuſtria ſubnixi, quippe Raynerius Hadwigin, Hugonis Comitis Pariſiorum filiam, Lambertus Gerbergam, filiam Caroli, fratris Lotharii Regis, in matrimonio habebat, paterna bona, ſita praecipue in regione Hannoniae, repetitum eunt. Ad Peronnam * Guarnerium, & Rainaldum Comites, qui illa beneficio Caeſaris tenebant, caedunt, caſtrum Buſſetum ** ad Haniam fluuium, † (a quo regioni nomen haeſit,) muniunt, atque ex eo late praedas agunt.[1] Imperator quidem ipſe ad hos ſedandos tumultus profectus arcem cepit.[2] Aſt illi † inſtauratis viribus Caſtrilocum obſident, ſitum in monte, † qui ad haec vsque tempora celebre in illa regione munimentum habet. Obiicit ſe Gotfridus, e ſtirpe Comitum Ardennae, in cuius ditione caſtrum erat, vna cum Arnulpho Flandriae Comite. Pugnatum eſt aequo marte.[3] Gotfrido tamen liberatio caſtri pro victoria fuit.[4] Frater vero Lotharii Regis, Carolus, & ipſe praedia quaedam aſſertum ibat, a matre Gerberga, cui prior maritus, Giſelber-

† *Hayne.*

† *An.* 977.

† *Mons Hannoniae.*

I 2 tus,

altero Henrico, qui comprehenſi, in exilium miſſi ſunt.

5) Conf. P. HANSIZ Germ. Sacr. T.I. p. 210.

6) Vid. Diplom. ib. p. 223.

§. IV. * Vicus Hannoniae prope Binchium.

** *Boſſut*, inter Binchium & Montem.

1) SIGEB. GEMBLAC. ad A. 975.

2) ID. ad A. 974. *Otto Imperator caſtellum Buxidis obſidet, captum diruit, &c.*

3) GVIL. de NANGIACO ad An. 977.

4) SIGEBERT. ad An. 976. Caſtrum manſiſſe in poteſtate Godfridi, apparebit infra ex epiſt. GERBERTI.

OTTO II. tus, illa reliquiſſet, titulum cauſamque repetens. Praeterea Lotharius ipſe, qui, viuo Ottone M. tentare Lotharingiam auſus non fuerat, nunc eo magis metuebatur, quod domi regiam vim, collapſam fere aui inertia, egregie inſtauraſſet. Itaque Imperator conſilium, quo ſimul pacaret prouinciam, & moleſtiam faceſſeret Lothario, init, Carolumque Lotharingiae Ducem facit.† Is quidem, quoniam in regno & aula fratris non ſatis pro dignitate haberi ſibi videbatur, & cum Emma Regina inprimis aperta exercebat odia, cupide hanc conditionem accepit; apud Francos vero ſuos haud parum inuidiae contraxit, quod alteri ſe Principi in clientelam dediſſet. Raynerii quoque & Lamberti cauſa ita compoſita eſt, vt concedente Imperatore praedia ſua tenerent. 5 A Raynerio Comites Montenſes in Hannonia orti ſunt, a Lamberto Comites Louanii, in pago Brabantino, qui poſtea Ducatum Lotharingiae Inferioris obtinuerunt.

Carolus fit Lotharingiae Dux.

† *v. not. in fin.*

V.

Lotharius Rex Lotharingiam inuadit.

Nihilominus Lotharius Rex An. DCCCCLXXVIII. in Lotharingiam ſuperiorem mouit, Metisque plurimos e Nobilitate obuiam habuit. Inde Aquisgranum, in qua vrbe tum Otto cum Theophania Auguſta agebat, contendit ea celeritate, vt vix tempus ille, quo vltra Rhenum ſe reciperet, haberet. 1 Nec tamen vltra triduum commoratus eſt. Namque Otto vndique copias contrahebat. Cum illis autumno eius anni, in Regnum Neuſtriae excurrit: 2 vaſtatisque Remenſium, Laudunenſium, & Sueſſionum

Imperator in Neuſtriam ducit.

5) SIGEBERT. GEMBLAC. ad An. 977. *Filii Raynerii, in terram patrum ſuorum relocati ſunt.*

§. V. 1) DITMARVS p. 343. NANGII CHRONICON. it. GLABER lib. I. c. 3.

2) DITMAR. l. c. *quem celeriter abeuntem Caeſar inſequitur, depopulatis omnibus, & incendio conſumtis, vsque ad Pariſiam Sedem.* LAMB. SCHAFNAB. ſcribit eum perveniſſe vsque ad Caenobium S. Dionyſii.

ſonum agris, Lutetiam Pariſiorum vsque progreſſus, ſuburbana populatur, vicem ita redditurus hoſti. Vrbem ipſam ſitus defendit, & praeterea Dux Hugo, Comesque idem Pariſiorum, & frater eius, Henricus, Burgundiae Dux, ſubito copias vndique cogunt. Recedenti inſtant Lotharius Rex, & idem Hugo, vna cum Godfrido, Comite Andegauenſi: dumque Axonam fluuium traiicit, militem caedunt, nec Germanos perſequi deſiſtunt, donec ad ſiluas Ardennae, fluuiumque Moſam perueniſſent.[3] Anno DCCCCLXXX. pacis cauſa ad Carum amnem Otto Imperator, & Lotharius Rex, filium adducens Ludouicum, quem regni conſortem adſciuerat, conueniunt. Transactum ibi de Lotharingia conſtat. Quamquam de conditionibus inter Hiſtoricos non aeque conueniat; † illorum tamen auctoritatem, qui bona tum fide relictam Ottoni ſcribunt, ipſa tranquilla Germanorum Principum poſſeſſio confirmat. Certe ab eo tempore Reges Galliae cum Imperatoribus Germanicis tamquam legitimis illarum regionum dominis, egerunt.

OTTO II.

Pax ad Carum amnem.

† *v. not. in fin.*

VI.

Italiae ſtatus Seditiones Romae.

Dum Otto in Germania bellis diſtinetur, Romae qui Germanico Imperio aduerſabantur, graues tumultus, auctore praecipue Cincio, ſ. Creſcentio,[1] excitarunt. Ille in Benedictum VI. qui Ioanni XIII. ſuffectus fuerat, inſurgit, coniectumque in arcem S. Angeli † miſere occidit. In eius locum, ſine Imperatoris auctoritate, Pontifex creatur Bonifacius VII. totus deditus Cincii partibus. Quod

† *Herm. Contr.* 974.

I 3

3) SIGEB. GEMBLAC. ad An. 978. DITMARVS p. 343. ſcribit Ottonem in illa populatione, *retuliſſe hoſtibus, quicquid dedecoris prius intuliſſent noſtris.*

§. VI. 1) Theodorae filium vocat HERM. CONTR. De tribus Creſcentiis, nobilibus Viris, Romae per haec tempora, opibus & potentia florentibus, agit BARON. ad An. 996.

OTTO II. Quod cum Tusculani Comites, fidei in Caesarem tenaces, minime ferrent, atque ille se imparem odiis illorum agnosceret, Basilica Vaticana pretiosis rebus omnibus spoliata, Constantinopolim profugit. Tum Romae Donus II. eoque paulo post mortuo, Benedictus VII. Alberici quondam Consulis nepos, electus est. † Hic demum Imperatoris auctoritate [2], & necessariorum potentia fultus, cum Bonifacium in Synodo excommunicasset [3]; multosque de contraria factione in vincula coniecisset, vrbem ad officium reuocauit, Ottonemque vt in Italiam veniret, identidem hortatus est.

Benedictus VII. Papa.

† *An.* 975.

VII.

Otto in Italiam proficiscitur.

Itaque An. DCCCCLXXX. vna cum Theophania Augusta, magnoque comitatu Principum vtriusque ordinis, Alpes superavit. Ticini cum matre Adelheidi in gratiam redit [1]: eaque & ipsa Romam pergentem comitatur †. Ibi Natalitia,

† *Chr. Sax.*

2) Donum II. & Benedictum VII. sine Ottonis Imperatoris auctoritate consecratos scribit SIGONIVS. Eum refellit PAGIVS in Breviar. in Dono II. p. 244. Imperatorem S. Majolo, Abbati Cluniacensi, destinasse Pontificatum, ipsum vero per modestiam semet excusasse scribitur in vit. eius, p. 665. n. 29. hisce verbis: *Sub eodem fere tempore Romanus Pontifex clauserat extremum diem, & nauis Ecclesiae Rectoris praesidio destituta, in huius vitae fluctuantis incerto diuersis molestiis pulsabatur. Otto iuuenis cum matre sua sceptra publici moderabantur Imperii: fit in eorum praesentia matura discussio, quis in locum Petri regiminis gratia debeat subrogari: fit districta examinatio personarum, quae scilicet ad tantum honorem & gradum dignior & magis idonea valeat exhiberi. Per innumeros euagata sententia, dum non inuenit, quo recurrat, in Maiolo tandem, vt Papa fieret, requieuit; dignum esse atque conueniens, vt vir spectabilis & vitae merito reuerendus, singularem iustitiae cathedram sortiatur. Mittuntur epistolae matris & filii, nuncii regiae Maiestatis accedunt, & Maiolum precum violentia de finibus suis eductum, tribunaliis Imperatoriis induxerunt. Magna totius Imperii beneuolentia & amore susceptus, magnae apud omnes habetur reuerentiae & honoris: euentilanda quaestio de substitutione Romani Pontificis exponitur ante eum. Quid multis morer? Viris personalibus, & famosis in communi illa praesentia nominatis, cum in eos generalis sententia non sedisset, dirigitur consensus omnium in Maiolum. Iuuenis Imperator cum deuota matre sua insistunt viriliter, humiliter deprecantur; & procellis Ecclesiae replicatis, quae per eum facile sedarentur, vt tanto oneri sese subiiciat violenter exorant.* Id post Doni II. obitum contigisse coniicit P. HENSCHENIVS in not. ad h. l. & PAGIVS ad An. 975. n. 12.

3) De Synodo, in qua damnatus est Bonifacius, vid. PAG. ad An. 975. n. 5.

§. VII. 1) ODIL. c. 4. *Postmodum vero Caesar*

OTTO II.

litia, & Paſchale feſtum ſequentis anni, celebrauit, extatque memoria Concilii, in Vrbe praeſente ipſo habiti.[2] Apud Scriptores aliquot reperio, Ottonem Romae Proceres ad conuiuium vocaſſe, mox quos Maieſtatis reos occultis indiciis nouerat, ab ipſis epulis ad caedem protractos, atque inde illi Sanguinarii cognomen datum fuiſſe: ſed apud coaeuos Auctores nulla tam crudelis facti mentio.[3]

VIII.
Otto in Apuliam & Calabriam mouet.

Ordinato Vrbis ſtatu, Imperator ad Apuliam & Calabriam acquirendam, quod iam pater tentauerat, animum aduertit.[1] Regionum illarum non vna tum conditio erat. Partem tenebant Duces Beneuenti, Capuae, & Salerni, qui ab Ottonis M. tempore Imperium Occidentis reſpiciebant. Reliqua quidem ſub Graecorum erant Imperio, ſed Duces tamen Neapolitani, Amalfitani, itemque Caietani, inſigni libertate fruebantur. Caeterum dum Longobardici Principes proferre fines, Graeci tueri ſua & recuperare amiſſa, ſatagunt, perpetua bellorum ſeges eſt. Ottoni vero ſpes eo laetior, quod Principes Orientis, Baſilius & Conſtantinus, qui Iohanni Zemiſci ſucceſſerant, bello aduerſus Bulgaros diſtinebantur. Sed Saraceni Calabriam & Apuliam infeſtabant, ſiue ſua ſponte, ſiue conducti

Caeſar Otto, ductus poenitentia, direxit Regi auunculo legationem, & ſanctae recordationis patri, Maiolo, ſub celerrima feſtinatione, obnixius deprecans, vt gratiam matris, quam propriis exigentibus culpis perdiderat, eorum interuentionibus promereri poſſet; orans iterum, & obſecrans, vt quantocius poſſent, vna cum Auguſta matre, PAPIAM *ei ſtuderent occurrere. Tantorum etiam virorum vſa conſilio, apud* PAPIAM *tempore conſtituto occurrit mater filio.*

2) Ita enim Benedictus ap. PAGIVM in Epiſtola Synodica: *Notum eſſe volumus omnibus &c. Qualiter Synodum aggregatum eſt in Eccleſia B. Petri, Apoſtolorum Principis, ante ſacratiſſimum eius corpus, una cum Domno Ottone, Sereniſſimo Imperatore Auguſto, ſpirituali filio noſtro &c.*

3) Primus GOTFRIDVS VITERBIENSIS tragicam fabulam narrat in Panth. P. XVII. p. 480.

§. VIII. 1) Statum, fineſque regionum Apuliae, & Calabriae, qui tum fuerunt, accurate explicat GIANNONIVS in Hiſt. Regni Neapol. T. I. p. 504. & 507.

OTTO II. ducti a Graecis, quibus nullum aliud iam aduersus Latinos auxilium erat. Ad hoc bellum Caesar milites non ex Tuscia modo, & Insubria, sed etiam e Germania, maxime Bauaria & Sueuia, euocat. [2] Cum iis quicquid Romanae militiae erat, Vrbe eduxit, † suppetias ferentibus Capuae, Beneuenti, & Salerni Regulis. Neapoli [3] sponte admissus, per Apuliam late victricia arma protulit: multaque prospere aduersus Graecos, & praecipue Saracenos, gessit. Iam in Calabria Tarentum in potestatem redegerat. Inde ad oppidum, nomine Basentellum, progressus, dum ardentibus pugnandi cupiditate militum animis, Saracenos incautius, loco minime opportuno III. Idus Iulii † aggreditur, Romani autem, & Beneuentani incalescente certamine, a signis recedunt, [4] magnam cladem passus est. Cecidere multi vtriusque ordinis Principes, & egregii milites. Ex Italicis inprimis Landulfus, Capuae Princeps, & Athenulfus, frater eius, e Germanis, Henricus, Episcopus Augustae Vindelicorum, & Vernerus, Abbas Fuldensis, [5] nominantur. Multi capti sunt. † Imperator ipse vix incolumis ad mare euasit, cumque nauim forte reperisset, Roscianum, † in opposito sinus Tarentini littore, quo in loco Theophania Augusta, cum Theoderico, Episcopo Metensi, commorabatur, vectus est, non sine periculo, ne ipse in manus Graecorum incideret. [6]

† *A.* 981.

† *An.* 982.

Proelio vincitur a Saracenis.

† *Hepid.*

† *Rossano.*

In

2) DITMAR. Lib. III. p. 346. *Caesar Romanum sic regebat Imperium, vt quod patrem suum prius respiciebat, omne detineret, & Saracenis sua impugnantibus viriliter resisteret, & a finibus suis longe hos effugaret. Calabriam a crebra Graecorum incursione & Saracenorum depraedatione magnam iniuriam perpeti Caesar comperiens, ad supplementum exercitus sui* BAVARIOS, *ac fortes armis* ALEMANNOS *euocauit.*

3) HERM. CONTR. ad An. 981. *Otto Imperator Neapolim venit.*

4) Ita quidem SIGONIVS. Sed sine veterum Scriptorum auctoritate.

5) Addunt alii Ottonem Sueuiae, & Bauariae Ducem.

6) Varias circumstantias, sed confuse, narrant DITMARVS p. 346. & SIGEBERTVS GEMBLAC.

OTTO II.

IX.

Otto Capuae Principatum ordinat.

In reditu Otto Capuae Principatum Aloarae, Landulfi viduae, & Landenulfo filio confirmauit. [1] Nonnulli eum Beneventi, in vltionem perfidiae, muros vrbis diruisse, scribunt; sed sine certo auctore. * Caeterum Germaniam nuntius acceptae in Calabria cladis vehementer perculerat, ferebantque passim ipsum Imperatorem interfectum. Ille autem Veronae, in confinio vtriusque regni, conuentum indixit: † ad quem frequentes adfuere Germaniae Italiaeque Principes. In eo de instaurando bello maxime actum. Namque in ipsam Siciliam inferre arma, & insulam, excisis Saracenis, vindicare Imperio animus erat. † Inter caetera de Republica consilia praecipuum fuit, quod Principes filium Ottonem, licet infantem adhuc, Regem elegerunt. [2] Eum Imperator commendauit Warino, Archiepiscopo Coloniensi. Ibidem & Henricum Carinthium in gratiam recepit, eique Ducatum Bauariae, vacantem nuper ex morte Ottonis, dedit. [3] Foedus quoque cum Duce & populo Venetorum instauratum est. [4] Illi tum adhuc Graecorum Principum maiestatem comiter colebant; [5] sed

Conuentus Veronae. †*An.* 983.

† *Hepidan.*

Otto III. Rex appellatur.

Henricus Carinthius Bauariam accipit.

Foedus cum Venetis.

K naui-

§. IX. 1) LEO OST. Lib. II. cap. 9.

* Ita quidem post alios SIGON. Lib. 7. Sed eos refellit Card. ORSINVS (posthmodum Benedictus XIII. Papa) in Synod. Benev. p. 56.

2) DITMAR. p. 347. *Filius Imperatoris ab omnibus in dominum eligitur.*

3) DITMAR. Lib. III. pag. 346. *Imperator Veronae Placitum habuit, & Henricus minor, exilio solutus, Dux Bauariae electus est.* Haec de Henrico, patruele Regis, vulgo accipiunt, sed minus recte, vt apparebit sub Ottone III.

4) Vid. Tabulas foederis in App. libri, de iure Imp. in Statum Ecclesiasticum, p. 476.

5) Venetos tum adhuc Imperii Orientalis auctoritatem respexisse colligas ex ipsis actis illorum publicis, in quibus annos Imperatorum Graecorum computant. Ita enim incipit Charta fundationis Monasterii S. Georgii, hoc ipso anno scripta, ap. VGHELLVM T. V. Italiae sacrae, f. 1272. & MABILLONIVM T. IV. Annal. S. Benedict. L. XLIX. n. 23. p. 12. *Anno ab incarnatione Christi 982. imperantibus dominis Vasilio & Constantino, fratribus, populo Romano, magnis & pacificis Imperatoribus, anno autem Imperii eorum post obitum Ioannis Cimisteii XI. mensis Decembris d. 20. indictione X. &c.*

OTTO II. nauigationi & commerciis intenti, dum consilia temporibus accommodant, libertatem indies opesque amplificauere. Extant etiam leges in his Comitiis latae, [6] multum trahentes ex ferocia temporum, & illa maxime, qua iubetur, ut in casibus dubiis, non amplius iureiurando, sed per duellum veritas exploretur, quae res foedam duelli licentiam, ipsis quondam Gothis incognitam, inuexit. Soluto conuentu matrem Adelheidin in Vrbe Ticino relinquens, † ipse Rauennam atque inde Romam reuertitur. Ibi in grauem morbum incidit, expiatusque Christiano ritu a Pontifice Benedicto, obiit d. 7. Decembr. † Elatus est publico funere, & sepultus in atrio Basilicae S. Petri, cui vulgo Paradisi nomen. Ibi tempore Cardinalis Baronii extabat adhuc sepulcrum eius ex porphyre: nunc, ex quo aedes illa in augustiorem multo modum extructa est, in subterranea eius parte visitur. Ex vxore Theophania praeter filium, Ottonem, qui post illum regnauit, tres filias reliquit. Sophia Parthenoni Gandersheimensi praefuit, Adelheidis Quedlinburgensi: Mathildis nupsit Ezoni, Comiti Palatino. Intempestiua sane mors illa Imperio & Familiae Augustae accidit. Erant enim in Ottone praeclarae virtutes, [1] amabatque bonas artes, raras quidem illo seculo, et ultro viros, qui illis praecellerent, bene-

† *Ditm. p. 347.*

X.

Imperator Romae moritur.

† *Ditm. l. c.*

Elog. Ottonis.

6) Extant leges Ottonis II. Veronae in Conuentu publico latae, apud GOLDASTVM Const. Impp. T. III. p. 310. & in COLL. SCRIPT. RER. ITALIC. T. I. P. II. p. 169.

§. X. 1) Elogium Ottonis hoc epitaphio complexus est GERBERTVS, epist. n. 79.

Cuius ad imperium tremuere Duces, tulit hostis
Quem dominum, populique suum nouere parentem,
Otto, decus Diuum, Caesar carissime, nobis
Immeritis rapuit te lux septena Decembris.

beneficiis fovebat. 2 Neque tamen Graeci fructum, qualem res polliceri videbatur, ex morte Ottonis tulerunt. Sed contenti recepiſſe quae amiſerant, nouum deinde Apuliae Praeſidem, titulo Catapani, inſtituerunt, qui Bari ſedem fixit. OTTO II.

XI.

Dani Saxoniae fines populantur.

In Germania per Caeſaris abſentiam, omnis quae in Septentrionem vergit ora, vehementer turbata, atque inprimis res Chriſtianorum afflicta fuerat. Quippe apud Danos filius Haraldi, Sueno, deſertis Chriſtianorum ſacris, quibus puer, Ottone M. ſponſore, initiatus fuerat, omnem Paganiſmi vim aduerſus patrem ſuſcitat. Is acie victus, conſcenſa naui Iulinum, quae tum erat clariſſimum Slauorum, ad Balthicum mare, emporium, 1 confugit, ibique paulo poſt ex vulnere obit. Sueno autem vaſtata omni dioeceſi Sleſuicenſi, 2 expugnataque Vrbe, quam Caeſar nuper muniverat, iam vltro populatur Saxoniam. Ea res Bernhardum Ducem, cum Veronam tenderet, ex medio reuocauit itinere. 3 Eodem tempore Slauorum nationes ad arma convolant, iactantibus paſſim paganae ſuperſtitionis affeclis veniſſe tempus, quo & ſacra aliena, & dominatum excuterent. Praeterea Theodericus, Slauici limitis Praeſes, aſperitate imperii, dum nec a contumelia verborum,

Slaui Hauelbergam & Brandenburgum capiunt.

K 2 quod

2) Ita GERBERTVS ep. 34. laudat *Socraticos* eius *ſermones.* IDEM fauorem Ottonis erga viros doctos extollit ep. 13. ad Ecbertum, Archiepiſcopum Treuirenſem: ' *Domini noſtri Caeſaris magnanimitatem, intentionem, appetitum bonorum virorum ſupereminentem cognouiſtis &c.*

§. XI. 1) AD. BREMENSIS Lib. II. cap. 17. Is Iulinum appellat. HELMOLD. Lib. I. cap. 15. nominat WINETAM, *Ciuitatem opinatiſſimam Slavorum.*

2) Ekhardus, Ep. Sleſvicenſis, cum dioeceſin ſuam vaſtatam videret, Hildeshemum confugit. VIT. S. BERWARDI cap. 20. 44.

3) DITMAR. p. 347. *Solus Dux Bernhardus in media reuertitur via: namque vna ex vrbibus ſuis, quam Imperator contra Danos opere ac praeſidio firmauit, dolo ab his denuo capta, caeſis defenſoribus eiusdem, incenſa eſt.*

OTTO II.

† *Ditm.* † *An.* 982.

quod ipſam ſeruitutem acerbiorem facit, abſtinet, auerterat animos.† Primi, qui circa Hauellam colebant, ſigna extollunt,† Hauelbergam capiunt, caeſoque praeſidio, primarium templum diruunt. Triduo poſt Brandenburgum inuadunt; Volcmarus Epiſcopus, ac ipſe Theodericus Marchio, oblitus iam ferociae ſuae, vix fuga elabuntur.† Ab altera parte Miſteuoius, Abotritarum Regulus, Hamburgum incendit. 4 Denique omnis Slauorum vis, ad XXX. equitum peditumque millia, prope Tangeram fluuium, qui haud procul Magdeburgo in Albim illabitur, coacta eſt. Sed Giſilerus, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Hilleuardus, Epiſcopus Halberſtadienſis, Marchio Theodericus, & Comites aliquot Saxoniae, ex improuiſo eos adorti, inſigni victoria potiuntur.† Slaui tamen ea clade exaſperati magis quam fracti, ſequente etiam anno† experiri fortunam belli non deſtiterunt. 5

† *Ditm. p.* 345.

Saxones Slauos ad Tangeram praelio ſuperant.

† *Ibid.* † *An.* 983.

XII.

Ciza diripitur a manu Bohemorum.

Mersburgenſis E-

Neque Bohemi ſeſe continuere. Aduerſus illos Rigdagus, Marchio Miſniae, limitem fortiter tuetur. Sed Theodericus Comes,[1] peregrino milite ad perſequendas priuatas cupiditates vſurus, ipſe manum Bohemorum Cizam ducit, fugatoque Epiſcopo, Hugone, oppidum, & omnem late circum agrum populatur. [2] Mersburgenſis

4) DITMAR. Lib. III. pag. 345. *Miſtui, Abotritorum Dux, Homanburg, vbi ſedes Epiſcopalis quondam fuit, incendit atque vaſtauit.* Idem habet CHRONOGRAPH. SAXO, qui ſua fere ex DITMARO deſumſit, ad A. 982. Sed AD. BREMENSIS non meminit huius belli. Videndum an pro Homanburg, legi debeat Altenburg, Vagriae oppidum, in quo Otto M. Epiſcopatum inſtituerat.

5) DITMAR. p. 347. ubi res A. 983. commemorat: *Et in hoc anno Slaui unanimiter reſtiterunt Caeſari, & Thiedrico Marchioni.*

§. XII. 1) Hic eſt Theodericus, Marchionum Miſniae ſator. Illum DITMARVS p. 388. ſcribit fuiſſe *de tribu, quae Buzici dicitur.* Quae verba non vno ſenſu interpretati ſunt viri docti.

2) DITMAR. p. 345. *Temporibus his Eccleſia Cizenſis a Boiemorum exercitu, Dedi duce, capta eſt, & depraedata.* Hugone

OTTO III.

piſcopatus extinguitur.

fis Eccleſia grauiorem cladem, a quo minime decuiſſet, accepit. Siquidem Epiſcopus eius Giſilerus, cum Archiepiſcopatum Magdeburgenſem ab Ottone impetraſſet, quoniam per Canones tum nondum licebat, duabus Eccleſiis praeeſſe, aut ab vna facile ad alteram transire, Epiſcopatum Mersburgi, quod locus ipſe ad Dioeceſin Halberſtadienſem pertineret, contra ius fasque inſtitutum eſſe, aſſerere non erubuit, peruicitque Romae in Synodo,† vt illo extincto, ipſe Magdeburgenſem obtineret. Itaque Mersburgenſem Eccleſiam, Abbatiae titulo, partemque praediorum ipſe retinuit, reliqua inter Halberſtadienſem, Miſnenſem, & Cizenſem Praeſules, inſtar praedae diſtributa ſunt. Quae res deinde aliquoties in Synodis agitata fuit, donec Henricus II. Mersburgenſem Epiſcopatum reſtituit.

† *Ditm. p.* 344.

† *An.* 981.

OTTO III.

XIII.

Otto III. coronatur.

Interea Otto III. Aquisgrani ipſis Natalitiis a Ioānne, Archiepiſcopo Rauennae, & Villigiſo Moguntino coronatus erat. [1] Vbi vero nuntius ex Italia de obitu Auguſti ſuperuenit, Henricus Dux, quem ab Ottone II. in cuſtodiam miſſum retuli, opportunum tempus ambitioni ſuae nactus, ſibi agnationis iure deberi tutelam Regis contendit. Facile in partes trahit Popponem, Epiſcopum Vltraiectinum, in cuius cuſtodia detinebatur, atque una cum illo, & Ecberto Marchione, Colo-

Henricus tutelam Regis affectat.

 niam

Hugone primo tunc Epiſcopo hinc effugato. 1 D. de eodem hoc Theoderico: p. 388. *Boiemios aduerſum nos inſurgentes, ad Cicenſem perduxit Ciuitatem.*

§. XIII. 1) DITMAR. Lib. III. p. 347. *Huius inclita proles, nata ſibi in ſilua, quae Ketil vocatur, in die proximi natalis Domini, ab Ioanne, Archiepiſcopo Rauennate, & Willigiſo Moguntiacenſi, in Regem conſecratur Aquisgrani.*

OTTO III. niam properat, minisque & promiſſis a Warino Archiepiſcopo obtinet, vt Regem puerum, quem eius curae Pater commendauerat, ſibi traderet.† Neque Colonienſis modo, ſed & Treuirenſis Archiepiſcopus, Ecbertus,[2] & Metenſis Epiſcopus Theodericus,[3] aliique Proceres Lotharingiae, fauebant partibus eius, idque agebatur, vt vel tutorio nomine regnaret Henricus, vel in conſortium Regni adſumeretur.[4] Alii enim Theophaniam auerſabantur, cuius magna eſſe debebat, filio impubere, in Republica auctoritas.[5] Alii aetatem pueri non conuenire regno iudicabant: maxime ex quo Lotharius, Francorum Occidentalium Rex, ambire & ipſe tutelam Regis coeperat. Ille quidem neceſſitudinem allegabat, quippe matre Saxonica genitus, & aduerſus Henrici inſidias proſpicere ſe infantiae Ottonis iactabat.[6] Sed prudentiores verebantur hac ſpecie occultari animum inuadendae Lotharingiae: ſiquidem iam ante vrbem Verdunum occupauerat, comitemque Gotfridum in vinculis tenebat.[7]

† *Ditm. p.* 347.

Lotharius Rex Lotharingiam turbat.

In

2) Id apparet ex epiſt. GERBERTI, 26. ad Ecbertum, Treuirenſem, ſub perſona Adalberonis, Remorum Epiſcopi, ſcripta.

3) Theoderico id exprobrat Carolus Dux, ep. Gerberti 32.

4) Agitatum hoc fuiſſe conſilium, vel ex ſolis epiſtolis Gerberti apparet. Ita enim ad Ecbertum, Archiepiſcopum Treuirenſem, ſcribit ſub perſona Adalberonis, ep. 26. *Forte, quia Graecus eſt* (Otto III.) *ut dicitis, more Graecorum corregnantem inſtituere vultis.* Et ep. 39. ſcribit Notgario, Epiſcopo Leodienſi. *Ego quidem, cui ob beneficia Ottonis eſt multa fides circa berilem filium, ſic protinus delibero: Nouimus Henrici alta conſilia, Francorum impetum; ſed quem finem babeat nos ignoramus. Ne conſortem regni facias, quem ſemel admiſſum repellere nequeas.*

5) Hanc cauſam indicat SIGEBERT.

6) Ita GERBERTVS ep. 22. *Dominam meam Theophaniam Imperatricem nomine meo conuenite. Reges Francorum filio ſuo fauere dicite, nihilque eos aliud conari, niſi tyrannidem Henrici, Regem ſe facere volentis, ſub nomine aduocationis, velle deſtruere.* It. epiſt. 32. de Regibus Francorum: *His eſt curae filius Caeſaris, hi nec regnum quaerunt eripere, nec corregnantem inſtituere.*

7) GERBERTVS ep. 60. *Coniuratio in filium Caeſaris, ac in vos, & acta*

OTTO III.

XIV.

Willigisus pro tutela Theophaniae.

In hoc ancipite rerum Statu Willigisi maxime, Archiepiscopi Moguntini, virtus & prudentia eminuit. Ille quondam Ottonis II. praeceptor fuerat, atque ab eo deinde ad Ecclesiam Moguntinam, & Archicapellani munus, multis ob natalium ignobilitatem invidentibus, euectus, dignum nunc familiae domini sui officium retulit: atque auctoritatem omnem & consilium impendit, vt regnum Ottoni puero, atque tutelam Theophaniae Augustae conseruaret. Willigiso Conradus, [1] Dux Francorum, adstipulatur.† In Bauaria etiam Henrico aduersabatur Henricus Carinthius, qui, recente Ottonis II. beneficio, Ducatum acceperat.[2] Willigisus optimum iudicans, principum animos procul a factionibus, ad unam R. P. curam reuocare, conuentum indicit Bisenstadii, quae villa fuit regalis haud procul a Rheno, in quo de tutela Regis in commune consulerent.

† Ditm. p. 345.

XV.

Henricus Saxones sollicitat.

Interea Henricus erectus studiis, quae per Lotharingiam satis prona inuenerat, in Saxoniam concedit. Magdeburgi, quo ad Dominicam Palmarum conuentum indixerat, Saxonum animos explorat, iam non obscure regnum ambiens.† Plerique, cum a fide recedere religio esset, nec tamen satis parati aduersus vim sibimet viderentur, vt

† Ditm. p. 348.

acta est; & agitur, non solum a Principibus, inter quos CAROLVS DVX *iam non occulte est, sed etiam a militibus, quos spe aut metu allici est possibile. Sigefridus Comes ad sua rediit. Godefridus Comes, si Castrilucium cum Hainao Reniero redderet, seque ac filium suum* (sc. Adalberonem, designatum Episcopum Verdunensem) *Comitatu ac Episcopatu priuaret Virdunensi, de reliquo integram fidem Francorum Regibus exhiberet, datis obsidibus fortassis ad sua remeare valeret.* Haece Lotharingiae turbas diligenter explicat BLONDELLVS in pleniori Assertione Geneal. Francicae.

§. XIV. 1) CHRONOGR. SAXO Conradum hunc Ducem Francorum vocat. HAHNIVS tamen p. 137. mavult, eum Sueuiae Ducem fuisse.

2) Sed Episcopi Bauariae dicuntur Henrico fauisse ap. DITMAR. p. 348.

OTTO III.

Quedlinburgi Rex appellatur a ſuis.

vt tempus traherent, reſponderunt, ſe Regem illum agnituros, vbi ſoluti ante fuerint ſacramento, quod Ottoni nuper dixiſſent. Sed ille morae impatiens, ſtatim Quedlinburgi, inter ſolennia Paſchatos, Regis nomen, acclamantibus ſuis, ſumit. [1] Adſunt Miſteuoius, Abotritorum, Miſeco Polonorum, & Boleslaus Bohemorum Duces, [2] hortantur, magno animo Regium decus capeſſat, fidem ſuam & opem pollicentur, ſeu affectu erga ipſum, ſeu vt diſcordiam in Imperio fouerent, proficuam aegre parentibus. Ex Saxonicis Principibus praecipue Giſilerum, Archiepiſcopum Magdeburgenſem, Henrici partibus fauiſſe reperio. Contra Bernhardus Dux, Theodericus Marchio, & Comites aliquot Saxoniae & Thuringiae infenſis animis abſceſſere. † Profectus autem Biſenſtadium Henricus, vbi fruſtra modis omnibus tentaſſet, illos, qui Ottoni ſtudebant, ſuis partibus adiungere, inducias pepigit, ad III. Kal. Julii, promiſitque tum adeſſe Rarae, & Regem puerum matri reddere. [3]

† *ibid.*

XVI.

Eius iter in Bohemiam.

Ab illo conuentu in Bohemiam profectus eſt ad Boleslaum, cujus amicitiae, & opibus plurimum tribuebat. Is

§. XV. 1) DITMAR. lib IV. p. 348. *Inde egreſſus Henricus proximum Paſcha Quedlinburgi feſtiuis peregit gaudiis. Quo magnus regni Primatus colligitur, a quibusdam venire illo nolentibus, ad omnia diligenter inquirenda nuntius mittitur. Hac in feſtiuitate idem a ſuis publice* REX APPELLATVR, *laudibus diuinis attollitur.* Non autem coronatus fuit. Namque CHRON. QVEDLINB. ad An. 995. ſcribit, Regem quidem electum, ſed *ante conſecrationem poenitentia abductum eſſe.* Idem & CHRONOGR. SAXO notauit.

2) DITM. Lib. IV. p. 348. *Huc Miſico, & Miſtui, & Boleslaus Duces cum caeteris ineffabilibus confluebant, auxilium ſibi deinceps vt Regi & Domino, cum iuramento affirmantes.*

3) DITM. l. c. *Moguntinae tum prouiſor Eccleſiae Willigiſus, cum Duce Conrado, caeterisque optimatibus huc venit. Hos Dux quibuscunque valuit modis ſibi iungere tentans, eosque a promiſſa Regi ſuo cum ſacramentis fide, nunquam vita comite receſſuros, unanimi eorum reſponſione percipiens, coactus eſt, futuri timore duelli, cum iuramentis affirmare, vt III. Cal. Julii ad locum, qui Rara vocatur, veniret, puerumque* MATRI SVAE, ILLISQVE *redderet.*

OTTO III.

Conuentus ad Raram.

† *Ditm. p.* 348.

Henricus Regem matri reddit.

Is cum remeanti copias dediſſet, quae tuto in Saxoniam deducerent, miles Bohemus in reditu Miſnam vrbem ex improuiſo capit.† Epiſcopus Volcmarus in exilium agitur. Interea Saxones, qui in fide Ottonis perſtabant, Wilhelmum, Comitem Vinariae, partibus Henrici ante omnes deditum, obſident: iamque ipſi Henrico, reuertenti ex Bohemia, non procul Mersburgo occurrunt, tantumque metus iniiciunt,[1] vt iuraret ſtare pactis, de quibus Biſenſtadii conuenerat. Adfuere frequentes ad Raram principes, & inprimis ambae Auguſtae, quae interea ex Italia in Germaniam venerant, cum fratre Adelheidis, Conrado, Burgundiae Rege, cuius filiam, Giſilam, Henricus in matrimonio habebat. Ibi demum Dux, quod partes ſuas per Saxoniam & Bauariam nutare, miſceri contrariis ſtudiis Lotharingiam, & optimum quemque averſari ciuile bellum videret, Regem matri, aviaeque, tradidit.[2] Stabilita inter Germanos concordia, Lotharius quoque, Francorum Rex, ab ambienda tutela abſtinuit, quin & Verdunum reddidit,[3] atque ſic paucorum Principum conſtan-

L tia

§. XVI. 1) Rem ita narrat DITMARVS: *Interim fautores Regis Wilhelmum Comitem, Duci nimis familiarem, in Wimari obſidentes, comperto eiusdem aduentu, illo feſtinant, ac iuxta villam, quae* ITERI *dicitur, conuenientes caſtra metati ſunt, craſtino contra eum bellaturi. Quod cum Ducem protinus non lateret, Giſilerum huc miſit Archiepiſcopum, qui voluntatem eorum perquireret, pacemque, ſi potuiſſet ulla fieri ratione, firmaret. Hic cum ſenioribus congregatis ſuae legationis aperiret ſecretum, dictum eſt ab his, ſi Regem ſuum & Dominum reddere, nilque de rebus ſuis praeter Mersburg, Walbizi, et Fraſu ad ſupra memoratum diem ſibi detinere voluiſſet, idque ſacramentis credibilibus approbaret, quod tunc cum ſecuritate eorum ex parte conſolidata, hinc abire liceret: Sin autem, quod eundi redeundique nullus vino pateſceret locus. Quid plura? quicquid expoſcunt, craſtino impetrant, eumque ad Merſeburg, vbi ductrix Giſela, longo triſtis ſedebat abſceſſu, hi diſcedentes, ire permittunt.*

2) DITM. lib. IV. p. 349. *Ventum ad Rara ab Imperatricibus, & ab vniverſis Imperii ac Regni Principibus, fidelisque promiſſio Ducis completur, data cunctis, qui ad regnum pertinebant, gratia ſui, abeundique licentia. Rex a ſuimet matre, auiaque, diligenter ſuſceptus, & Hoiconis magiſterio Comitis commiſſus eſt.*

3) SIGEBERT. ad A. 985. PAG. ad A. 984. n. 3.

OTTO III. tia & consilio grave bellum consopitum est. 4 Henricus ne Ducatum quidem Bavariae, quem unum maxime iam pro Regno, & tutela Regali petebat, impetrare potuerat. Quippe alter, qui illum obtinebat, Henricus, & beneficium Ottonis II. & probatam nuper fidem allegabat. 5 Paulo post tamen Francofurti ad Moenum res penitus composita est; Henricus Bavariam a Rege accepit: 6 Aemulo eius Carinthia, Ducatus titulo, mansit: vixerunt-

Bavariae Ducatum accipit.

4) Huc pertinent, quae habet AVCTOR VITAE ADALBERONIS, METENSIS EPISCOPI, ap. LABBAEVM, T. I. Bibl. MS. p. 671. *Principum illa discordia, quam putabant non sine magnis periculis, nec sine sanguinis multa effusione, vnquam euadendam, sic sedata, sic ad nihil redacta est, vt res iam in armis constituta, ad vnitatem electi Principis, & ad diuturnitatem verae pacis, quae, quam diu vixit Princeps idem, durauit, perfectissima rediit, dum votis fidelium Adalbero in hunc dignitatis Pontificalis gradum felix adscendit. Acta sunt haec felicibus auspiciis Wormatiae, quo exercitus Galliarum Germaniaeque, pars, ad fauendum puero Principi, pars, vt resisteret, concesserat.* Idem Auctor, Beatrici, Friderici Ducis Viduae, laudem conciliatae Pacis attribuit: *Beatrix, quae huius Pacis propagatrix, Deo annuente, extiterat, & cuius industria tam subita militum & Principum in Regem confoederatio facta fuerat, cum sua felicissima prole, felix & ipsa, & cum nobili illo Metensium exercitu, ad vrbem filio datam, ire properat.*

5) DITMAR. lib. IV. p. 349. *Oritur autem inter hunc, & praefatum Henricum, qui minor dicebatur, magna seditio, qua Herimanni consilio postmodum finita, Regis gratiam in Francofurthi, & Ducatum, deditiius promeruit.*

6) Rem ita describit CHRONOGR. SAXO ad An. 985. p. 198. & 199. *Veniente igitur in Francoford Rege infante, Tertio Ottone, ibidem ipse aduenient humilianit se iuste, quo poenam euaderet damnationis iniustae, Regique puerulo, quem orbatum captiuauerat, cuius regnum tyrannice inuaserat, praesentibus* DOMINIS IMPERIALIBVS, *quas Regni cura penes erat,* AVIA, MATRE & AMITA *eiusdem Regis, humilis habitu, humilis & actu, totius in aspectu populi,* AMBABVS IN VNVM COMPLICATIS MANIBVS, MILITEM SE, *& vera vlterius fide militaturum,* TRADERE NON ERVBVIT, *nil paciscendo, nisi vitam, nil orando, nisi gratiam. At Dominae, quarum, vt diximus, cura, regnum Regisque regebatur infantia, tanti viri submissa deditione admodum gratulabundae, quia piorum moris est, non solum pro malis mala non reddere, sed etiam pro malis bona rependere, digna eum honore susceptum, gratia fideli donatum, Ductoria itidem dignitate sublimatum, deinde non tantum inter amicos, sed etiam inter amicissimos,* VTI IVS PROPINQVITATIS EXIGEBAT, *debito dilectionis venerantur affectu &c.*

OTTO III.

Leopoldus Marchio Austriae. † A. 984.

runtque deinde pari ambo concordia, & in Imperium fide. Missus eodem anno, † ad tuendum Orientalem Bavariae limitem, Leopoldus, ex stirpe Bambergensi, a quo nobilissima Marchionum, & postmodum Ducum Austriae, Domus, originem traxit. Ab eo tempore melior provinciae, misere hactenus ab Hunnis vastatae, conditio. Namque Leopoldus, inter alia praeclare gesta, deiecit eos a monte Mellicensi, inque illo celebre monasterium fundauit. Pilegrini autem, Episcopi Passaviensis, in cuius dioecesi ea regio erat, nouos colonos allicere, & fouere beneficiis, cura fuit. 7

XVII.

Theophania tutelam cum laude gerit.

Caeterum Theophania Rempublicam, innixa praecipue Willigisi consiliis, magna cum laude gessit, [1] filii quidem nomine, ita tamen vt & ipsius nomen interdum in publicis tabulis commemoretur, extantque diplomata, in quibus adeo suimet Imperii annos computat. [2] Fuit aliqua etiam Adelheidis Augustae, itemque Mathildis, Abbatissae Quedlinburgensis, amitae Ottonis, in Palatio auctoritas. Educandi autem Regis cura data est Hoiconi Comiti: [3] additusque Bervardus, (Episcopus postea Hildesheimensis,) [4] qui liberalibus artibus teneram aetatem imbueret. Neque id segniter actum. Extant adeo epistolae, Ottonis nomine ad Gerbertum,

Ottonis educatio

L 2 cla-

7) Conf. HANSIZ. Germ. Sacr. T. I.

§. XVII. 1) DITMAR. Lib. IV. p. 349. *Haec quamuis sexu fragilis, modestiae tamen fiduciae, & quod in Graecia rarum, egregiae conuersationis fuit, regnum filii eius custodia seruabat virili, demulcens in omnibus pios, terrensque ac superans erectos.*

2) MABILL. T. IV. Ann. Ord. S. Bened. Lib. L. n. 50. profert diploma, in quo haec formula: *Datum Kal. Aprilis an. DCCCCXC. Imperii Dominae Theophanu Imperatricis XVIII. Ind. III. Actum Ravennae feliciter.*

3) Vid. not. 2) ad §. praeced.

4) Vit. S. Bervardi cap. 2. Erat ipse ex familia Comitum Palatinorum Saxoniae, qui ab arce Sommersenburg cognomen accepere.

OTTO III.

clarissimum eius aeui philosophum, scriptae, quibus de variis rebus, ad literarum studia pertinentibus, consulitur. 5 Pacato Regno, in Saxoniam profectus est Otto, & Quedlinburgi Paschali Festo † frequentem conuentum habuit. In illo quatuor Duces Palatino ministerio functi sunt: Henricus, Bavariae Dux, Dapiferi, Conradus Camerarii munus obiit: alter Henricus, Carinthius, Pincernae, Bernhardus, Saxonum Dux, Mareschalli, seu Comitis Stabuli, vices peregit. 6 Adfuit Boleslaus Bohemus, permisitque se Regi. Tum & deductum est ab oppido Misnensi praesidium, & Episcopus ad sedem suam reversus. Miseco etiam, Polonorum Princeps, nouo Regi fidem iurauit, 7 eiusque praeclara documenta dedit. Namque eodem anno aduersus Slauos, qui in rebellione persistebant, exercitum ducenti, cum copiis adfuit. 8 Late tum vastata regio illorum, & An.

Rex in Saxoniam proficiscitur.
† A. 985.

Expeditio in Slauos.

D

5) Inter Epistolas Gerberti, ep. 153. inscribitur, *Gerberto, diuinorum peritissimo', atque tribus Philosophiae partibus laureato.* Hoc autem petit Otto a Gerberto: *Huius ergo nostrae voluntatis in non neganda insinuatione, nolumus vos Saxonicam rusticitatem abhorrere, sed Graeciscam nostram subtilitatem ad id studii magis vos provocare; quoniam si est, qui suscitet illam, apud nos inuenietur Graecorum industriae aliqua scintilla, cuius rei gratia, huic nostro igniculo vestrae scientiae flamma abundanter apposita, humili prece deposcimus, vt Graecorum viuax ingenium, Domino adiutore, suscitetis, & nos Arithmeticae librum edoceatis, vt pleniter eius instructi documentis aliquid priorum intelligamus subtilitatis. Quid autem de hac re vobis agendum placeat, quidue displiceat, vestra paternitas litteris nobis nuntiare non differat.*

6) DITMAR. Lib. IV. p. 349. *Celebrata proxima Paschalis solennitas in Quedlinburg a Rege, vbi quatuor ministrabant Duces, Henricus ad mensam, Conradus ad Cameram, Hecil ad Cellarium, Bernhardus equis praefuit.*

7) IDEM l. c. *Hic autem Bolizlaus & Miseco cum suis conueniunt. Omnibus rite peractis, muneribus locupletati discesserunt. In diebus illis Miseco semetipsum Regi dedit, & cum muneribus aliis Camelum ei praesentauit, & duas expeditiones cum eo fecit.* Duas hasce expeditiones sequentia illustrabunt.

8) ANN. HILDESH. ad A. 985. *Saxones Sclauiam inuaserunt. Quibus ad supplementum* MISACO *cum magno exercitu venit, qui totam terram illam incendiis & caedibus multis deuastauit.* Et ad An. 986. *Otto Rex adhuc puerulus cum magno exercitu Saxonum*

venit

OTTO III.

DCCCCLXXXVII. caſtella ad Albim inſtaurata ſunt, vnde fraena iterum iniicerentur latius habitantibus. 9 Paulo poſt bellum exarſit inter Bohemos & Polonos. Hi enim cum magnam partem regionum, quas Odera interfluit, conterminas Bohemis * tenerent, facilis inter finitimos, & proferendi regni cupidos, bellorum materies. Et nunc quidem Micislaus agrum Bohemo ademerat. 10 In hoc bello Bohemis Luitici, veteres amici, adſunt: Micislao, auxilium roganti, Theophania Giſilerum Archiepiſcopum, & Comites aliquot Saxonicos, opem ferre iubet. Sed illi magis arbitros pacis, quam belli ſocios, ſe geſſerunt. †

Bellum inter Bohemos & Polonos.

† Ditm. p. 349.

XVIII.

Lotharii & Ludouici Regum obitus.

Apud Francos Occidentales ingens rerum conuerſio accidit, mortuo A. DCCCCLXXXVI. Lothario Rege. Is vnicum filium reliquit Ludouicum, quem viuus iam in regni conſortium aſſumſerat. Emma Regina quidem Proceres in ſuam & filii fidem ſacramento adſtringit. 1 Sed mox plures adverſari Reginae coeperunt, inprimis Carolus Dux, vetere flagrans odio, iamque palam exprobrans ſtupri conſuetudinem cum Adalberone, Epiſcopo Laudunenſi. † Ipſe denique filius aperte a matre diffidet. Vnica tum Emmae ſpes in Aulae Germanicae praeſidio. Extant litterae, quibus matrem, Adelheidin

† Gerb. Ep. 117.

venit in Sclaviam, ibique venit ad eum MISACO, *cum multitudine nimia, obtulitque ei vnum Camelum, & alia Xenia multa, & ſe ipſum etiam ſubdidit poteſtati illius. Qui ſimul pergentes deuaſtauerunt totam terram illam incendiis, & depopulationibus multis.*

9) ANN. HILDESH. ad A. 987. *Saxones Sclauiam vaſtant, vnde illi compulſi Regis ditioni ſe ſubdunt, & caſtella iuxta Albim reſtaurantur.*

* Quas communi Sileſiae nomine poſterior aetas complexa eſt.

10) Hanc belli cauſam fuiſſe, colligere licet ex DITMAR. p. 349. ANN. HILDESH. referunt ad An. 990.

§. XVIII. 1) Ita enim ſcribit ad matrem, Adelheidin, Auguſtam, Ep. 75. (inter epiſtolas GERBERTI) *Noueritis interim Francorum Principes mihi, ac filio ſimul, fidem ſacramento firmaſſe.*

OTTO III. Regni Carolingorum in Neustria finis. † 987. Hugo Capetus Rex Francorum. † A. 988.

heidin Augustam, rogat, vt sibi Theophaniam, & Ottonem Regem, conciliet. [2] Anno sequente Ludovicus etiam moritur. † Cum eo regnum Carolingorum desiit: Quippe paucis ab obitu eius diebus, Proceres Francorum, praeterito Carolo, Ludovici patruo, Hugonem Ducem, qui Capetus cognominatus est, Regem appellant. Coronatus est Remis ab Adalberone Archiepiscopo, & paulo post † firmandi in Domo sua regni causa, filium Robertum in eius societatem adscivit.

XIX. Carolus Dux Regnum frustra vindicatum it. † A. 988. † A. 991.

Equidem Carolus, multum spei ponens in Wilhelmo, Aquitaniae Duce, qui Hugoni parere nolebat, gentile regnum armis assertum it, collectoque exercitu, † Remos diripit, Laudunum quoque, in qua vrbe tum agebat Emma Regina, [1] capit, Hugonem, cum vrbem oppugnatum venisset, proelio fundit. Verum paulo post, admisso intra moenia, proditione Adalberonis Episcopi, milite Hugonis, captus, † atque Aurelianum abductus est, inque illa captiuitate obiit. Filii Ludovicus, & Carolus, subnixi Aquitaniae Ducis opibus, Roberto Regi, Hugonis filio, aliquandiu restitere. Sed cum Wilhelmum tandem

2) Ep 97. *Adesto pia mater filiae doloribus plenae. Gloriantur hostes mei non superesse mihi fratrem, propinquum, amicum, qui auxilium ferre possit. Intendat ad haec pia Domina, redeat vestra nurus in gratiam. Sit mihi per vos exorabilis, liceatque suum mihi diligere filium, quem meum patior vt inimicum. Astringite mihi Principes vestri Regni, proderit eis mea coniunctio. Otto & Heribertus, Comites potentissimi, mecum in vestro consilio erunt. Si fieri potest, absoluite nos curis, vt mutuis fruamur colloquiis. Sin, antiquam sapientiam vestram vndique colligite, Francis, vnde non sperant, contraria parate, vt in nos grauiter saeuiens eorum retundatur impetus, & interim quid nobis sit faciendum, & significate & nuntio fidissimo.*

§. XIX. 1) Emma Regina de captiuitate sua queritur, in litteris ad Theophaniam Imperatricem: Ep. 119. *Nunc quasi sine genere, sine dignitate, omnibus afficior contumeliis, ancilla captiua crudelissimorum hostium facta. Et quomodo ille impius Carolus vocem meam audiret, qui vestram audire contemsit?*

OTTO III.

dem infelicium partium taederet, in Germaniam confugerunt: atque a Ludovico Landgravios Thuringiae ortum trahere vetus fama eſt. [2] Ita regnum Francorum Occidentale a Carolingis ad Capetingorum ſtirpem venit, quae & ipſa Francicae, adeoque Germanicae, originis eſt, quippe a Childebrando, [3] Caroli Martelli fratre, genus repetens. Initio huius belli Theophania Auguſta Conuentum habuit Ingelheimi. [4] Quae tum Aulae Germanicae conſilia, qui affectus fuerint non ſatis conſtat. Hugoni tamen magis, quam Carolo, faviſſe veriſimile eſt. Certe Adelheidin Reginam, Hugonis vxorem, Sataniaci † conveniſſe Theophaniam, ibique de conditionibus foederis inter Ottonem atque Hugonem actum reperio. † Vtile ſane Germanis videri poterat, Neuſtriam diſtrahi civili bello, & tutior ſub alio potius, quam Carolingo Rege, vicinitas.

Aulae Germanicae conſilia.

† Stenay

† Gerb. Ep. 120.

XX.

Italiae ſtatus. Romae tumultus propter Pontificatum.

Italiae ſtatus ſic ſatis tranquillus ſub Rege impubere manebat, niſi quod Romae, poſt obitum Benedicti, graves ob Pontificatum tumultus exorti ſunt. Cum enim Petrus, Epiſcopus Ticinenſis, & Imperialis Archicancellarius *, aſſumto Ioannis XIV. nomine ſurrogatus eſſet, † paulo poſt Bonifacius, quem Conſtantinopolim profugiſſe ſupra ſcripſi, ſuperuenit, corruptoque largitionibus populo, Cathedram iterum occupat, Ioannem in arcem S. Angelorum coniectum enecat. Paulo poſt & ipſe occiditur. † Sub Ioanne XV. demum conquieuerunt ambientium factiones. Erat tum Romae magna

† A. 984.

† A. 985.

2) PAGIVS ad An. 990. n. 7.

3) De Childebrando vid. die Geſchichte der Teutſchen, P. II. Lib. XV. 25.

4) ANN. HILDESH. ad a. 988. *Rex in Engilenheim Paſcha celebrauit.*

§. XX. * Hic Petrus Archicancellarius occurrit in variis dipl. Ottonis II.

OTTO III. magna auctoritas Crescentii, Nomentani, qui Consulatum Vrbis ita gerebat, vt fere Principatum aequaret. [1] Ipsum etiam Pontificem valde obnoxium voluntati suae habebat. [2] Neque tamen reperio illum iam tum, vt vulgo traditur, aperte aliquid molitum contra Caesarem. *

Theophania res Italiae ordinat.

Anno DCCCCLXXXIX. Theophania in Italiam profecta est, venitque Romam, statumque vrbis & Italiae vniuersae pro filio asseruit. [3] Insigni fuit per omne regnum Ottonis III. in domum Augustam fide, Hugo, Tusciae Marchio, qui praeterea Ducatum Spoleti & Camerini habuit. †

Hugo, Tusciae Marchio.

† v. not. in f.

Illum & A. DCCCCXCI. in Germaniam venisse, atque Regi, in conuentu Quedlinburgensi de Republica tractanti, adfuisse reperio. [4] Iussu quoque eius Capuam obsedit, vt vlcisceretur Landenulphi, principis illius vrbis, necem, quem perfidi aliquot ciues occiderant. † In qua obsidione adfuit illi Thrasamundus, Comes Theatinus, vna cum Rainaldo & Oderisio, Marsorum Comitibus. [5]

† A. 993.

Theo-

§. XX. 1) SIGON. Lib. VII. scribit Crescentium, An. 993. consulatum Vrbis adeptum, res nouas moliri coepisse. Sed parum accurate, vt ex sequentibus patebit.

2) Ita enim Episcopi in Synodo Remensi, An. 991. contra Gerbertum habita: *Regii ac nostri Legati Romam profecti, & epistolas Pontifici porrexerunt, & ab eo indigne suscepti sunt. Sed, (vt credimus) quia Crescentio nulla munuscula obtulerunt, per triduum a Palatio seclusi, nullo accepto responso redierunt, quod peccatis nostris exigentibus prouenire non est dubium, vt Romana Ecclesia, quae mater & caput ecclesiarum omnium est, per tyrannidem oppressa debilitetur.* Illa autem Legatio Romam venit An. 989. exeunte, aut ineunte 990. vti PAGIVS obseruat ad An. 996. n. 5.

* Narrant vulgo Ioannem Papam a Crescentio Vrbe pulsum sed mox reuocatum. Hoc quoque refellit PAGIVS in Brev.

3) ANNAL. HILDESH. ad An. 989. *Theophania Imperatrix, mater Regis, Romam perrexit, ibique natalem Domini celebrauit, & omnem regionem Regi subdidit.*

4) CHRONOGRAPH. SAXO ad An. 991. de Conuentu Quedlinburgensi: *Vbi etiam Marchio Thuscanorum, Hugo, & Dux Slavonicus, Miseco, cum caeteris Europae primis, ibidem confluentibus, adfuere.* Et post pauca: *Hugo vero cum eadem Imperatrice, filioque suo, quocunque Regni vel imperando, vel regendo proficiscuntur, famulando prosequitur, vsque dum Niumagon perventum est.*

5) CHRON. CASIN. lib. II. c. 10.

OTTO III.

XXI.

Theophaniae obitus.

† d. 21. Iunii.

Theophania vero ad filium reuerſa, dum vna cum illo vrbes Lotharingiae perluſtrat, obit Neomagi A. DCCCCXCI. † Funus Coloniam, vti iuſſerat, proſecutus Otto, in aede D. Pantaleonis procurauit. Tum Adelheidis, cui cum nuru non bene conuenire ſolebat, ad Palatium venit, [1] rectura conſiliis ſuis immaturam Principis aetatem. [2] Ille autem ab eo tempore fere occupatus fuit in Slauis, qui ſub Patre defecerant, in ordinem redigendis. A. DCCCCXCII. iterum aduerſus Hauellanos profectus eſt: ſuppetias ferentibus Bauariae, & Bohemiae Ducibus. Boleslaus etiam, Polonorum Princeps, qui Micislao Patri nuper ſucceſſerat, cum propter bellum Ruſſicum ipſe adeſſe non poſſet, militem tamen miſerat. [3] Sed tum pactionibus dilata res. A. DCCCCXCIV. demum receptum eſt oppidum Brandenburgum, † atque paulo poſt ei limiti tuendo impoſitus Lotharius Marchio, e ſtirpe Walbecenſi, [4] amoto Theoderico, qui nec in pace moderate regere ſubiectos, nec defectionem paran-

Brandenburgum receptum.

† *Ditm. p. 352.*

M tes

§. XXI. 1) Altercationes inter Adelheidim, atque Theophaniam, attingit inter alios ODILO in Vit. Adelh.

2) CHRONOGRAPH. SAXO ad a. 991. *Comperta vero Imperatricis morte, praefata Adelheyda Auguſta, Regem iuuenculum, ſeptem iam tunc annos regnantem, quamuis eſſet non minus illo triſtis effecta, viſitando conſolatur, eumque vice filii tam diu ſecum tenuit, quoad vsque idem Rex, proteruorum conſilio iuuenum deprauatus, triſtem eam dimiſit.* Sed ODILO in Vit. S. Adelheydae L. I. cap. 5. ſcribit, Ottonem *nunquam offendiſſe Auiam.*

3) ANN. HILDESH. ad h. a. *Otto Rex cum valida ſuorum manu iterum Brannenburg adiit, venitque ad eum Henricus, Dux Baiouariorum, & Bolizlauo, Boëmannorum Princeps cum ingenti multitudine, in auxilium Regi.* BOLIZLAO *vero, Miſachonis filius, per ſe ipſum ad Dominum Regem venire nequaquam valens,* (IMMINEBAT QVIPPE ILLI GRANDE CONTRA RVSCIANOS BELLVM) *ſuos ſatis fideliter milites in miniſterium Regis direxerat.*

4) DITMAR. p. 356. CHRON. SAXO ad A. 340. *Poſt haec pro deſtructione Eccleſiarum in Brandenburg, & Havelberga, Theodericus Dux & Marchio; qui partium illarum defenſor extabat, dignitatem ſuam perdidit, & Lotharius de Wallbicke Marcam ab Imperatore accepit.*

OTTO III.
Abotriti ſubacti.

tes armis continere potuerat. A. DCCCCXCV. Rex in Abotritas, & Velatabos mouit. In ea expeditione Boleslaus, Polonorum Dux, adfuit: Bohemus filium cum copiis miſit. 5

XXII.
Piratae regiones ad Albim infeſtant.

† An. 993.

Pars Viſurgim ingreditur.

Vrbes paſſim munitae in Saxonia.

Dum Slauicis praecipue bellis detinetur Otto, maritimam Saxoniae Friſiaeque oram populantur piratae, qui ex Septentrione profecti, haud ſecus ac quondam Normanni, mare ac littora infeſtabant. Pars Albi ſubvecta, prope Stadam oppidum exſcenſionem facit. † Illis ſe Henricus, Marchio Stadenſis, cum aliquot Comitibus obiicit. Sed capti ſunt ab hoſtibus. Iam ingens pecunia pro redimendis cogitur, cum interea Sigfridus, frater Henrici, fallit cuſtodes, & veloce cymba ad littus euadit; increbeſcitque fama, Bernhardum Ducem in proximo copias parare. Tum illi captiuos & obſides, abſciſſis crudeliter naſis atque auribus proiicientes, nauibus ſeſe proripiunt. 1 Alii Viſurgim ingreſſi, late ſe ad vicina quaeque effuderunt, tantumque omnibus terrorem incuſſerunt, vt Bremenſis eccleſiae vaſa ac theſauros, in vrbe non ſatis tutos, alio transferre neceſſum fuerit. Sed tandem in loca illecti paludibus inuia, obtruncati ſunt a Saxonibus. Admoniti his periculis illarum regionum incolae, dum nouas quotidie irruptiones extimeſcunt, ad defenſionem, maiori cum cura comparare ſe coeperunt. Vrbs inprimis Brema moenibus tum, foſſaque, & vallo, circumdata fuiſſe legitur. 2 Beruardus etiam Epiſcopus Hildesheimenſis, (nam in illam vsque dioeceſin

5) ANN. HILDESH. ad h. a. *Rex Abotritas vaſtauit, vrbes & oppida diiiecit, occurritque in auxilium Bolizlau, filius Miſaco, cum magno exercitu, nec non Boemanni, cum filio alterius Bolizlau, venerunt.*

§. XXII. 1) DITMAR. p. 352.

2) ADAM. BREM. Lib. II. c. 22.

ſin graſſari latrocinio ſolebant,) ad Confluentes Allarae & Ovacri munimentum extruxit, 3 vrbemque Hildesheimum ipſam muro atque turribus cinxit. 4 Ita tandem magiſtra neceſſitas docuit ciuili vitae praeſidia parare. OTTO III.

XXIII.

Otto Legatos mittit Conſtantinopolim.

Iam ipſum tempus admonebat Ottonem de iungendo connubio cogitare, Principemque ſe Italis oſtendere, mittebatque A. DCCCCXCV. Legatos Pontifex, qui vniuerſae Italiae nomine inſtabant, veniret, praeſenſque decus Imperii capeſſeret.[1] Coniugem, Patris exemplo, in domo Imperiali Byzantina, quaerere viſum eſt, miſitque Conſtantinopolim duos Epiſcopos, Ioannem, Placentinum, & Bernuardum, Wirceburgenſem, qui filiam Conſtantini Auguſti, in matrimonium peterent.[2] Quae tamen Legatio, incertum qua de cauſa, optato effectu caruit.[3] Ipſe compoſitis cum Slauis rebus, A. DCCCCXCVI. ineunte, in Italiam profectus, Mediolani a Landulfo, Archiepiſcopo, Rex Italiae coronatur.[4] Prope Rauennam caſtra habenti, affertur de morte Papae Ioannis nuntius.* Tum

Ipſe in Italiam proficiſcitur.

3) *Vit.* S. BERVARDI c. 6.

4) IBID. c. 7.

§. XXIII. 1) ANNAL. HILDESH. ad A. 995. *Legati Apoſtolicae Sedis, cum vnanimitate Romanorum atque Longobardorum, Regem Romam inuitant.*

2) ANN. HILDESH. ad A. 995. *Iohannes Placentinus, & Bernwardus Wirciburgenſis Epiſcopi, Conſtantinopolim, ex latere Regis, vt ſponſam illi inde peterent, directi ſunt.*

3) Videri poſſet huc pertinere locus DITMARI, p. 417. vbi de Vlodomiro, Ruſſorum Rege, ſcribit: *Hic a Graecia ducens vxorem, Helenam nomine,* TERTIO OTTONI DESPONSATAM, *ſed ei fraudulenta calliditate ſubtractam, Chriſtianitatis ſanctae fidem, eius hortatu ſuſcepit* Sed manifeſtus eſt error. Neque enim Helenam, ſed Annam, Baſilii & Conſtantini ſororem, in matrimonio habuit Vlodomirus. Idque connubium iam A. 988. adeoque diu ante hanc legationem, contractum notauit PAG. ad A. 987. n. 6.

4) Coronationem hanc Italicam adſtruit MVRATORIVS de Cor. ferr. c. 7. Neque tamen dubio caret.

*) ANON. in VIT. S. ADALBERTI: *Rex autem Otto, Alpium niues multo milite tranſmeans, iuxta ſacram vrbem Rauennam regalia caſtra metatus eſt. Ibi in eius occurſum veniunt* epiſto-

OTTO III. ad commendationem eius electus est, [5] e Regali Capella, Bruno, filius Ottonis, Ducis Carinthiae, & Marchionis Veronae. Is Romam, a Willegiso Moguntino, & Adelbaldo Episcopo deductus, in ordinatione Gregorii V. nomen sumsit. Cognatus erat Regi Bruno, vtpote qui auiam habuerat Luitgardin, Ottonis M. filiam. [6] Sed illum non magis natales, quam dignae Pontificatu virtutes commendauere: [7] laudaturque inter alia

epistolae cum nunciis, quas mittunt Romani Proceres, & Senatorius Ordo; primo illius aduentum, velut toto tempore paternae mortis non visum, totis visceribus desiderare, ac debita fidelitate pollicitantur expectare. Deinde in morte Domni Apostolici, tam sibi, quam illis non minimam inuectam esse partem incommodorum annunciant, & quem pro eo ponerent, Regalem exquirunt sententiam.

5) Electionem Brunonis ita describunt nonnulli, vt solus Otto eum instituisse videri possit. GLABER RODVLPH. Lib. I. Hist. Franc. c. 4. p. 6. *Contingit Imperii* (Ottonis) *initio, vt Sedes Apostolica Vrbis Romae proposito viduaretur Pontifice. Ille vero illico Imperiali vsus praecepto, quendam suum consanguineum, cuiusdam Ducis filium, illi delegit.* Sed ex probatissimis Auctoribus patet, speciem certe aliquam electionis intercessisse. Ita laudatus Auctor Vitae S. Adalberti: *Erat tum in* CAPELLA REGIS *quidam Clericus, Bruno, secularibus litteris egregie eruditus, & ipse Regio sanguine genus ferens, magnae indolis, sed, (quod minus bonum) feruidae iuuentutis. Hunc, quia Regi placuit, a maioribus* ELECTVM, *Moguntinus Archiepiscopus, Villegisus, & suus collega, Adelbaldus Episcopus, adduxerunt Romam. Proinde a Romanis honorifice acceptum, ad hoc ordinati Episcopi Apostolico honore promulgarunt.* Consentit CHRONOGR. SAXO ad A. 996. *Dehinc omni Regno potenter potitus Italico, Romam veniens, beatae memoriae Iohannem Papam defunctum reperit, cui nepotem suum Brunonem, virum valde praeclarum,* NON SOLVM CLERI, SED OMNIVM ROMANORVM VNANIMI VOTO CIVIVM PONTIFICEM ELECTVM, *subrogori pie consensit.* Neque aliter ANNAL. HILDESH. ad A. 996. *Imperator in Italia positus, rumore incitatus, praemissis quibusdam Principibus,* PVBLICO CONSENSV ET ELECTIONE, *fecit in Apostolicam sedem ordinari suum nepotem, Dominum Brunonem, Ottonis filium, qui Marcam Veronensem seruabat.*

6) Stemma Gregorii V. hoc est:

Conradus Dux Francorum:	Vx. Luitgardis Ottonis M. Filia.
Otto Dux Carinthiae, et Marchio Veronae.	Vx. Iuditha.
Bruno, postea Gregorius V.	

7) ABBO FLORIAC. in Epist. ad Leonem, Abbatem Monasterii S. Bonifacii Romani ap. MABILL. in App. T. IV.

alia, quod ſermones de rebus diuinis, prout vſus poſceret, modo latina, aut Italica vulgari, modo Germanica lingua habere ſolitus fuit. Subſecutus Otto, a Gregorio Die feſto Aſcenſionis, † coronatus eſt. Quam diſparem tum fuiſſe animorum habitum credibile eſt, ſpectantium Germanum Principem, a Papa Germano, & neceſſitudine coniuncto, Auguſtalibus inſignibus exornari? Nam vt multi, qui bene Caeſari cuperent, eo firmiorem fore Principatum ominati fuerint, non dubito alios, e Romanis maxime, doluiſſe, amiſſo dudum Imperio, iam & Sacerdotii apicem ad Tranſalpinos deferri. 8 Cum de componendo Eccleſiae & Vrbis ſtatu Concilium pro more haberetur, 9 graues querelae de Creſcentii in Ioannem Papam iniuriis prolatae ſunt, viſumque eſt Caeſari, in exilium eum pellere. Sed Papa Gregorius interceſſit, 10 magno tamen ſuo, vt euentus docuit, malo. Neque enim facile ſperes, animum praeferocem & ad nocendum obſtinatum, beneficio flecti poſſe. Inſtitutum in hac Synodo, auctore, aut ſaltem ſuaſore Gregorio, vt in poſterum ius & auctoritas eligendi Imperatoris in Germania penes certos Principes eſſet, peruulgata quondam opinio fuit. 11

OTTO III.

Romae coronatur Imperator.
† d. 21. Maii.

An tum certi Principes Electores deſignati?

M 3 Sed

T. IV. Annal. Ord. S. Benedicti, n. 13. p. 692. *Nuper audiui nuntium, quod me laetificauit ſuper aurum & topazium, erectum eſſe Apoſtolicum decus per quemdam Imperialis ſanguinis virum, totum virtute & ſapientia compoſitum.* Add. Epitaphium Gregorii, quod infra proferemus.

8) DITMAR. p. 335. *In aſcenſione Chriſti, quae tum erat XII. Kal. Iunii, anno aetatis ſuae XV. regni XIII. indictione VIII. ab eodem vnctionem Imperialem accepit.*

9) Conf. Concil. T. IX. p. 1245. Eiusdem Synodi meminere ANNAL. HILDESHEIMENSES, eo loco, quem ſtatim ſubiicimus.

10) ANNAL. HILDESH. ad A. 996. *Habitoque cum Romanis Placito, quendam Creſcentium, quia priorem Papam iniuriis ſaepe lacerauit, exilio ſtatuit deportari. Sed ad preces noui Apoſtolici Imperator omnia remiſit.*

11) Ante omnes hoc aſſerere laborauit GEWOLDVS Lib. de Septemvir.

OTTO III. Sed iam dudum explosa est. Constat sane, sequentes Imperatores in Conuentu omnium regni Ordinum eligi solitos, & Seculo demum XIII. eligendi praerogatiuam ad septem illos Principes redactam, qui Electores inde vocati sunt. Imperator Romae ordinatis rebus in Campaniam profectus est, atque Capuae Principatum Laidulfo, quod participem fuisse coniurationis in fratrem Landenulfum, compererat, ademit, eumque Aidemario dedit, Laidulfum trans Alpes relegauit. [12]

Otto Capuae res ordinat.

XXIV.

Reuersus in Germaniam, Slauos reprimit.

In Germaniam reuersum Slauica iterum bella exceperunt. Hauellanos, qui per absentiam eius rebellauerant, ipse repressit, [1] ac Magdeburgum victor se recepit. Ab altera parte Velatabi, in Bardengouiam, cuius pagi caput fuit Bardouicum, valida quondam in Saxonia inferiori ciuitas, irruunt. Hos Westfali milites, quos ad tuendam prouinciam reliquerat Imperator, Ramwardo, Episcopo Mindensi, crucem ante signa praeferente, [2] fortiter reiecerunt. [3] Sed maioris momenti res ex Italia nunciantur. Namque Crescentius, audacior absentia Caesaris, Gregorium vrbe expulerat: Deinde Placentinum Episcopum, tum forte ex Byzantina Legatione reducem, sub

Tumultus Romae. Crescentius Gregorium vrbe pellit.

12) Vid. OSTIENS. Lib. II. c. 15. add. PEREGRINVS p. 307.

§. XXIV. 1) DITM. L. IV. p. 354. *Imperator, a Romania discedens, nostras regiones inuisit, & accepta Slauorum rebellione, Stoderaniam, quae Heuellis dicitur, armato petens milite, incendio & magna depraedatione vastauit, & victor Parthenopolim rediit.*

2) CHRON. SAXO ad A. 997. p. 206. *Westphali, quos praefatus Imperator in expeditionem pergens, ad custodiendam reliquerat prouinciam, celeriter Laicicos fortiterque excipiunt, ipsique cum pauci essent, illam innumeram Paganorum multitudinem tanta caede prosternunt, tantamque ab eis praedam diripiunt, vt nec caedis illius, nec praedae numerus, vllo modo possit humano explicari sermone.*

3) DITMAR. p. 354. *In illo certamine Ramuardus, Mindensis Episcopus, fuit, qui socios, arrepta in manibus cruce sua, sequentibus signiferis, praecessit, & ad haec facienda potenter consolidauit.*

fub nomine Ioannis XVI. * ad Pontificatum euexerat. Hic OTTO III.
Rufciani in Calabria, Graeco patre, natus, fauore Theophaniae gratiofus apud Ottonem II. & Capellanus Auguftae factus, a filio etiam Epifcopatum acceperat. Nunc tot beneficia in materiem fceleris vertit: permifitque fe ambitioni Crefcentii, vt fatisfaceret fuae. [4] Ille iam palam infurgens aduerfus Imperatorem, miffos eius in vincula coniecit: Aulam vero Byzantinam officiis omnibus coluit: vulgauitque adeo fama, id agi Romae, vt Occidentis Imperium Graecis iterum Principibus afferetur. [5] Gregorius, Roma profugus, Ticini Concilium celebrat, inque illo Crefcentium, atque una Ioannem diris deuouet. [6]

Otto

* A. 997. circa menfem Maii.

4) Motus hofce Romanos ita defcribit DITMAR. p 354. *Crefcentius autem Romae, abfente Papa praedicto, qui poft benedictionem Gregorius vocabatur, Ioannem Calabritanum, Theuphano Imperatricis dilectum comitem, & nunc Placentinum Antiftitem, fubftituit, &* SIBI IMPERIVM TALI PRAESVMTIONE VSVRPAVIT, *immemor iuramenti, & magnae pietatis ab Ottone Augufto fibi illatae. Infuper* NVNCII EIVSDEM, A PRAEDICTO INVASORE CAPTI, *diligenti cuftodiae traduntur. Imperator mox vt haec audiuit, illo properans, Dominum Apoftolicum fibi obuiare per internuncios poftulauit.* Add. CHRON. SAXO ad A. 997. *Crefcentius Romam, abfente Papa Gregorio, inuafit. Ioannemque, quemdam Calabritanum, quem Dominus Imperator, Otto III. pro Graeci Imperatoris filia fibi matrimonio acquirenda, cum Bernwardo Epifcopo, Conftantinopolim miferat, inde reuertentem* CVM GRAECORVM LEGATIS, *fe indigno fufcepit honore: eumque non tam Papam, quam Apoftatam conftituens, legatos Imperatorios fub cuftodia Romae retinuit.* ANNAL. HILDESH. expulfionem Gregorii notant ad A. 996. *Imperatore Vrbe excedente, idem Crefcentius Dominum Apoftolicum, nudum omnium, Romana vrbe expulit.* Ioannis XVI. intrufionem referunt ad annum fequentem.

5) ARNVLPH. Lib. I. c. 11. *Regnante Ottone III. cum matre Graeca, quidam Graecus, Graecae Dominae Capellanus, factus eft Placentinus Epifcopus, de quo dictum eft, quod Romani decus Imperii aftute in Graecos transferre tentaffet.*

6) ANNAL. HILDESH. ad A. 997. *Papa Ticini, adunato complurium Epifcoporum Concilio, Crefcentium anathemate perculit.* Mox fubiiciunt de Ioanne: *Interea Iohannes, Placentinus Epifcopus, Conftantinopoli remeans, Romam intromiffus, Apoftolicam fedem, factione Crefcentii, inuaferat. Vnde ab vniuerfis Epifcopis Italiae, Germaniae, Franciae & Galliae excommunicatur.*

OTTO III.

XXV.

Otto iterum in Italiam mouet.

† a. 998. Mathildis, Vicaria Imperii.

Otto autem ad vlciſcendam Imperii & Eccleſiae cauſam, propere ſe accingit. † Germanicarum rerum curam amitae ſuae, Mathildi, Abbatiſſae Quedlinburgenſi, delegat, [1] quae magna cum laude illas moderata eſt. Ticini Gregorium ſibi adiungit. Vbi Romam appropinquant, Creſcentius recipit ſe in molem Hadriani, quae iam dudum pro arce erat Romanis, atque apud horum temporum Scriptores, etiam Turris Creſcentii vocatur. Ioannes ex vrbe profugit. Sed Romani, qui in Imperii & legitimi Pontificis fide perſtiterant, retractum ex fuga, & miſere mutilatum, (nam & oculos erutos, & linguam naresque praeciſas ſcribunt) in carcerem coniiciunt. Talem deinde Gregorius, aſino impoſitum, per vrbem circumduci iuſſit. [2] Arcem, in quam Creſcentius confugerat, Ekhardus Marchio, cuius clarum inter Saxonicos Duces nomen, expugnat. Creſcentius ipſe, reus maie-

Gregorius Papa reſtituitur.

§. XXV. 1) ANN. HILD. ad a. 997. *Imperator vt Romanorum ſentinam purgaret, Italiam perrexit,* SVMMA RERVM *Dominae Mathildae, amitae ſuae, Quedlinburgenſi Abbatiſſae, delegata, in qua vltra ſexum mira prudentia enituit.* DITMAR. Lib. IV. pag. 356. *Imperatore & Ekkihardo pariter tunc in Romania commorante, commiſſa erat REGNI ISTIVS cura venerabili Abbatiſſae Mathildi &c.* IDEM memorat Conuentus, quos Mathildis, abſente Imperatore, Dornburgi, & Magdeburgi habuit. Dexteritatem Mathildis in tractanda Republica mirifice laudat CHRONOGR. SAXO ad A. 999. *Haec fratruele ſuo, largo ſcilicet Ottone, Romam proficiſcente, Imperatoria vice* COMMISSA SIBI REGNA, *non leuitate foeminea gubernans, Barbarorum etiam induratos vertices Regum, artificioſo auiti paternique ritu ingenii, ita placabiles ſubiugalesque reddiderat, vt huiuſce fundamenta pacis, qua nunc ſancta Dei Eccleſia pro parte fruitur, poſt tantarum deuaſtationem prouinciarum, poſt effrenem Barbarorum motum, non gladio, non armis, non vllis bellicorum inſtrumentis apparatuum, licet & ad haec percipienda ſatis eſſet idonea, continuata vigiliarum, orationum, inediaeque inſtantia, ſoli Deo intenta, illius comitante gratia, prima poſuerit, atque conſtruxerit.*

2) CHRONOGR. SAXO ad A. 998. Fuſius deſcribit Auctor Vitae S. Nili, Abbatis, ap. BARON. ad An. 996. n. 16. ſeq. & PETR. DAMIANVS Lib. I. Epiſt. 20. (ad Cadaloum) Op. T. I. p. 23.

maieſtatis iudicatus,[3] in prato Neronis[4] ſupplicio afficitur.[5] Ita reſtitutus in ſedem Gregorius, praeſente Ottone, Concilium Romae habuit.[6] In eo inter alia Giſileri, Archiepiſcopi Magdeburgenſis, cauſa ventilata eſt: decretumque, vt Epiſcopatus Merſburgenſis reſtitueretur; Giſilerus Magdeburgenſem retineret Eccleſiam, ſi expetitum ſe a populo probaſſet, ſin minus, reuerteretur ad Merſburgenſem: quod ſi de ambitu praeterea conuictus fuerit, vtraque priuaretur.[7] Reſeruatum tamen Imperatori, vt rem totam in Synodo Nationali diſcuteret.[8]

OTTO III. DeCreſcentio ſupplicium ſumitur.

XXVI. Syluester II. Papa. † d. 18. Febr.

Anno ſequente, (DCCCCXCIX.) Gregorius Papa obiit †,[1] magno Caeſaris luctu. Is & funus, vt ex Epitaphio colligas, procurauit.[2] In illius locum, iterum com-

N

3) HVGO Abb. FARFENSIS, in Relat. de Imminutione rerum monaſterii ſui, p. 700. *Interfectus eſt Creſcentius Comes, iuſſu Ottonis Imperatoris, & Gregorii Papae* ... QVI NIMIS DISTRICTE PLACITA INTRA ROMAM EXERCEBANT.

4) ARNVLPH. Lib. I. cap. 12. *Qui ſtatim in Prato Neroniano iuſſus eſt decollari.*

5) Supplicium Creſcentii non omnes eodem modo referunt. DITMAR. p. 354. *Creſcentius vero Leonianum ingreſſus clauſtrum, Imperatori reſiſtere fruſtra tentavit. Namque Imperator, Dominicam Reſurrectionem Romae celebrans, poſt feſtiuos dies, inſtrumenta bellica praeparans, poſt Albas, domum Diederici, vbi ille peruerſus ſedebat,* EKKIHARDVM MARCHIONEM *impugnare iuſſit: qui eandem perdius & pernox laceſſere non deſiſtens, tandem per machinamenta alte conſtructa aſcendit, & eundem decollatum, voce imperatoria, per pedes laqueo ſuſpendit.* Italici Scriptores, praecipue PETR. DAMIANVS de Vit. S. ROMVALDI, cap. 25. p. 196. & AVT. VIT. S. NILI rem paulo aliter narrant: Scilicet, Creſcentium a Saxone aliquo, Thagmone, ſimulata pace illectum ad deditionem, & contra fidem datam ab eo ſumtum ſupplicium. Sed ex loco Abb. Farfenſis apparet, quaeſtionem ante de eo habitam.

6) CONCIL. T. IX. p. 772.

7) DITMARVS tamen p. 357. Concilium ſub Syluestro habitum innuit.

8) DITM. l. c. *Datis tum induciis hoc differtur, vſque dum Imperator cum Comprouincialibus Epiſcopis hoc diſcutere valuiſſet.*

§. XXVI. 1) Non ſine veneni ſuſpicione, vt notauit HAHN. p. 161. not. c)

2) Epitaphium Gregorii dedit BARONIVS ad A. 999.

Hic, quem tegit humus, oculis, vultuque decorum,
Papa fuit quintus nomine Gregorius.

OTTO III.

commendatione Ottonis, Gerbertus, Archiepiſcopus Rauennae, Papa electus eſt, & Syluestri II. nomen ſumſit. Gerbertus ille merito inter clariſſimos aeui ſui viros, tam propter ingenium & doctrinam, quam propter ampliſſima, quae conſecutus eſt, praemia, connumeratur.

Syluestri II. elogium.

Natus in Aruernis humili loco, & in Orillacenſi monaſterio enutritus, cum liberalibus ſtudiis, praeſertim Mathematicis,[3] vltra ſeculi genium, excelleret, ab Ottone II. munifico ingeniorum fautore, Bobienſem Abbatiam in Italia acceperat. Sed agitatus iniquitate aemulorum & temporum, Remos ſe recepit, inque illa vrbe, Adalberoni Archiepiſcopo inprimis carus, bonas litteras aliquandiu tanta celebritate docuit, vt in diſcipulis Robertum etiam Hugonis Regis filium, & ipſum paulo poſt Francorum Regem, habuerit, & de Ottonis quoque Regis inſtitutione per litteras conſuleretur. Quae res illi non minorem vtilitatem, quam gloriam attulit. Namque cum initio regni Hugonis, Arnulphus, Archiepiſcopus Remenſis, exauctoratus eſſet, ipſe Rege annitente

Ante tamen Bruno, Francorum regia proles,
Filius Ottonis de genitrice Iudith,
Lingua Teutonicus, Wangia doctus in vrbe:
Sed iuuenis cathedram ſedit Apoſtolicam,
Ad binos annos, & menſes circiter octo,
Ter ſenos Februo connumerante dies.
Pauperibus diues, per ſingula ſabbatha, veſtes
Diſtribuit numero cautius Apoſtolico.
Vſus Franciſca, VVLGARI, & voce Latina,
Inſtituit populos ELOQVIO TRIPLICI.
Tertius OTTO ſibi Petri COMMISIT OVILE,
Cognatis manibus unctus in Imperium:
Exuit & poſtquam terrenae vincula carnis,
Aequiuoci dextro CONSTITVIT lateri.

3) DITMARVS p. 399. vt rem admirabilem, commemorat horologium, quod tum Magdeburgi, ſingulari arte compoſuit: *Hic tandem a finibus ſuis expulſus, Ottonem petiit Imperatorem, & cum eo diu conuerſatus, in Magdaburg horologium fecit, illud recte conſtituens,* CONSIDERATA PER FISTVLAM QVADAM STELLA, NAVTARVM DVCE.

OTTO III.

tente in eius locum electus eſt. † Cum vero Arnulphus, quod in eam abdicationem Romanus Pontifex non conſenſerat, vt reſtitueretur, obtinuiſſet, Gerbertus ad Ottonem ſe recepit, eumque comitatus in Italiam, Eccleſiam Rauennatenſem † impetrauit. [4] Pontificatum magna cum laude geſſit; nec tamen ignorantium, & maleuolorum hominum obtrectationem effugit, qui adeo magiae labem, veterem in Philoſophos calumniam, [5] illi adſpergere non ſunt veriti. [6]

† A. 991.

† A. 998.

XXVII. Ottonis iter in Poloniam.

Rebus in Italia ex voto conſtitutis Imperator, comitatu Cardinalium & Procerum aliquot Romanorum, [1] in Germaniam reuertitur. Ratisbonae aliquantum moratus, cum ad Saxoniae fines perueniſſet, flectit iter in Poloniam. Occurrit Boleslaus, qui magna iam tum celebritate regnabat, proferendae religionis ſtudio, non minus quam militari laude clarus, exceptumque ſummis honoribus, Gneſnam, Ducum ſedem, deducit. Cauſam conſiliumque profectionis produnt res, quae in illo conuentu geſtae ſunt. Veteres Annales pietatem in S. Adalbertum praecipue commemorant, quem & viuum ipſe in honore habuerat, & nunc poſt fata celebrari miraculorum fama audiebat. Non videtur

4) Conf. epiſtol. Gregorii V. pallium ei concedentis T. IX. Concil. p. 753. Ibi memoratu digna ſunt verba: *Vt autem caritatis in nobis fundatae dulcedinem recognoſcas; ex gratuita largitate noſtra, poſt mortem Adelcidae, Imperatricis Auguſtae, donamus tibi, tuaeque eccleſiae diſtrictum Rauennatis Vrbis, ripam integram, monetam, teloneum, mercatum, muros, & omnes portas Ciuitatis.*

5) BOETH. l. de Conſ. proſ. 4. ita ad Philoſophiam: *Atque hoc ipſo affines fuiſſe videmur maleficio, quod tuis imbuti diſciplinis.*

6) Conf. NAVDAEVS in Apol. Inſign. Virorum magiae accuſatorum.

§. XXVII. 1) DITMAR. p. 357. *Cum Ratisbonam veniret, a Gebehardo, eiusdem Eccleſiae Antiſtite, magnifico honore ſuſceptus eſt, comitantibus ſecum Ziazone, tunc Patricio, & Roberto Oblationario, cum Cardinalibus. Nullus Imperator maiori vnquam gloria Roma egreditur, neque reuertitur.*

OTTO III.

S. Adalberti elogium.

tur ab hoc loco alienum, memoriam Praefulis, de re Chriftiana fummopere meriti, recolere. Is Bohemus gente cum Epifcopatum Pragenfem obtinuiffet, maluit illo abdicato conuertendis ad verum Dei cultum gentibus operam dare. Impetrato confenfu Gregorii Papae Hunnos adiit, † infenfos diu Chriftiani nominis hoftes, fed iam ab aliquo tempore, fub Principe fuo Geifa, meliora doctos. Coronidem operi impofuit S. Adalbertus, Geifamque ipfum, & filium Stephanum, adfperfos falutifera vnda, Chriftianis myfteriis initiauit. † Inde ad Boleslaum Gnesnam profectus, cepit confilium vicinos erudiendi Pruffos. Dux triginta milites pro comitatu, & nauim, qua Gedanum veheretur, dedit. [2] Haec eft prima Vrbis, iam tum clarae per illas oras, vti & Pruffforum Gentis, quae hactenus fub communi Aeftiorum nomine latuiffe videtur, * apud vetuftos fcriptores, mentio. Initio laete res fuccedere: frequentes ad baptismum concurrere homines. Mox obftinatior Paganorum turba manus illi iniicit, fuftibusque dire caefum occidit, haud procul ab Vrbe Gedano, vbi poftea fanum S. Adalberti conditum. Boleslaus corpus redemtum ab iis, qui interfecerant, Gnesnae afferuabat. Illud iam Otto, digniori fepulcro, ara fuperimpofita, recondit: co-

† A. 996.

† v. inf. §. 31.

Pruſſorum tentata converſio.

2) AVCTOR ANONYMVS Vitae S. Adalberti narrat profectionem eius in Pruffiam his verbis: *Tandem alternanti potior fententia fucceffit animo, vt, quia haec regio proxima, & nota fuerat Duci praedicto.* (Boleslao nempe) PRVSSIAE *Deos & Idola iret debellaturus. Dux vero cognita voluntate eius dat ei nauem, & ipfum pro pace itineris ter deno milite armat. Ipfe vero primo adiit vrbem* GIDANIO, *quam Ducis latiffima regna dirimentem maris confinia tangunt. Ibi diuina mifericordia aduentum eius profperante, baptizabantur hominum multae cateruae.* Hunc Auctorem inprimis laudat PAGIVS, atque alteram S. Adalberti Vitam, qua vfus fuerat BARONIVS, cum eo conciliat, ad A. 997.

*) De Pruffis vid. die Geſchichte der Teutſchen, XI. 26. not. 8. & Anm. p. 216.

coliturque adhuc ea in vrbe, Bohemis nequicquam abdu- **OTTO III.**
ſtum inde, & Pragae repoſitum aſſerentibus.[3]

XXVIII.

Archiepiſcopatus Gneſnae inſtituitur.

Magis memorabile eſt iter hoc ob ſacram politiam in Polonis diligentius excultam, illatumque Genti Regale decus. Otto enim Gaudentium, S. Adalberti fratrem, Gnesnae Archiepiſcopum inſtituit. * Attributi ſunt nouae metropoli Epiſcopi Cracouiae, Vratislauiae, & Colbergae, quod eſt oppidum in vlteriori Pomerania. † Id vero neque Posnanienſis Antiſtes, in cuius dioeceſi Gnesna erat, neque Magdeburgenſis, qui ipſam Posnaniam ſuae metropoli addictam habebat, aequo tulerunt animo. Equidem Otto, ita ordinato ſacrorum per ampliſſimas prouincias ſtatu, viſus eſt Aui ſui, ipſiusque Caroli M. ſtudium & gloriam in ornanda augendaque religione aequaſſe. Non tamen ille durauit: ſiue bellorum quae conſecuta ſunt, licentia, ſiue ob contradictionem Primatis Magdeburgenſis. Extant certe litterae Gregorii VII. Papae, ad Boleslaum II. A. MLXXV. datae, quibus Epiſcopos Poloniae nulli certo Metropolitano ſubiectos eſſe queritur. Colbergenſis etiam Eccleſia, quam clarus ſub Boleslao Reinbernus Epiſcopus fama ſua illuſtrauit, paulo poſt intercidit: atque nouus demum Seculo XII. in Pomerania Epiſcopatus Camini fundatus fuit. Praeterea Ottonem Imperatorem remiſiſſe tributum Boleslao, ipſumque Regem appellaſſe, concors eſt Polonorum ſcriptorum aſſertio,

† v. not. inf.

Otto Boleslaum Regem appellat.

N 3

3) HENSCHENIVS ad diem 13. Aprilis, quo S. Adalbertus colitur, exhibet diſſertationem BOHVSLAI BALBINI S.I. *de Relatione Corporis S. Adalberti Pragam*; quam factam fuiſſe pluribus probare conatur. Poloni contra ſe ſacras exuuias poſſidere contendunt, eique ſuperſtructum inſigne Mauſoleum oſtentant. PAG. ad An. 997.

§. XXVIII. * *Gaudentius, Archiepiſcopus S. Adalberti Martyris, occurrit ap.* MABILLONIVM Ann. Ord. S. Benedicti Lib. 55. n. 45. p. 130.

OTTO III. ſertio, Regiam dignitatem Principum ſuorum inde repetentium.† Scilicet Germanici Imperatores, aeque ac Graeci, in eo quoque veterum morem imitati ſunt, vt Principibus populorum, quos Imperio ſuo arctius deuincire vellent, coronam, & ſceptrum & reliqua inſignia Regalia concederent.

† v. Not. in f.

XXIX.

Imperator in Italiam reuertitur.

Ex Polonia Magdeburgum, proſequente Boleslao, contendit: ibique ordinandis Saxoniae rebus vacauit. Tum Aquisgrani, quam vrbem modis omnibus amplificare deſtinauerat,* Francorum Conuentu habito, Romam, rogatus a Papa Syluestro, repetiit. Obſcura admodum eſt rerum, quae tum in Italia atque Vrbe geſtae ſunt, memoria. Synodum Romae habitam reperio, in qua Beruardus, Epiſcopus Hildesheimenſis, coram Papa & Imperatore, Villegiſum Archiepiſcopum accuſauit, quod coenobium Gandersheimenſe, ſuae ſubtractum Dioeceſi, vindicatum iret Moguntinae. Ea res ad Concilium Nationale remiſſa, [1] & ablegatus in Germaniam Fridericus Cardinalis, Saxo genere, qui paulo poſt Archiepiſcopus Rauennae factus eſt. Tiburtini, impliciti partibus Creſcentii, Ducem ſuum occiderant, confiſique moenibus detrectabant iuſſa facere. Illos obſedit Imperator. Sed dedentes ſe ſe, petente Sylueſtro Papa, & Beruardo Epi-

§. XXIX. * CHRONOGR. SAXO ad A. 1000. *Quam cunctis tunc, poſt vrbem Romam, vrbibus, praeferre moliebatur.*

1) Huius Synodi memoriam ſeruauit VITA S. BERVARDI cap. 22. Is locus continet nonnulla, ex quibus ratio, qualis Romae illo tempore in habenda Synodo obtinuit, illuſtrari poteſt. *Huius itaque ſuaſu, Cleri, plebiſque, coadunata eſt Synodus, viginti Epiſcoporum de Romania: Aliquanti etiam aderant de Italia & Tuſcia: de noſtris Sigefridus Auguſtenſis, Hinricus Wirciburgenſis, Hugo etiam Iunior, Cizenſis, praeſidente domino Gerberto Apoſtolico, cum Imperatore - - - praeſente nihilominus, ſingularis meriti viro, Henrico, Duce pacatiſſimo, & Abbatibus; adſtantibus quoque Presbyteris, & Diaconibus, omnique Romana dignitate.*

OTTO III.

Epiſcopo, in gratiam recepit.[2] Petrus Damianus[3] S. Romualdum quoque nominat, (Camaldulenſium poſtea fundatorem) qui propter abſtinentiam, auſteritatemque vitae, magna apud Caeſarem auctoritate fuit. Indulgentia in Tiburtinos Romae multis, qui deleri oppidum cupiuerant, diſplicuit. † Paulo poſt in ipſa Vrbe ſeditio aduerſus Caeſarem oritur. Alii palatium obſident: pars in comites & milites diſperſos per Vrbem impetum facit. Iam illi quoque ad arma concurrunt, hortatoremque ac paene ducem ſe praebet Bernardus Epiſcopus, S. Lanceam praeferens.[4] Henricus autem, Bauariae Dux, & Hugo, Marchio Etruriae, progreſſi in medium, lenibus verbis, & promiſſis mulcent animos tumultuantium, & ſopiunt iras.[5] Poſtera die, cum iurare deberent Romani, manſuros ſe in fide, Imperator ipſe, veterum Principum more, concionem ad populum habuit, commemoratisque ſuis, & maiorum ſuorum in rem Romanam ſtudiis, increpuit ingratos ciues, hortatusque eſt ad fidem in poſterum melius ſeruandam.[6]

† Vit. S. Berv.

Tumultus in Vrbe aduerſus Imperatorem.

Ne-

2) Vit. S. BERVARD. c. 23. *Illis diebus Dominus Imperator Tiburtinam ciuitatem arcta obſidione vallauit. - - Adeſt ipſe Imperator cum Apoſtolico, & venerabili Berwardo Epiſcopo &c.*

3) In Vit. S. Romualdi cap. 23.

4) Vit. S. BERVARD. cap. 24. *Bernwardus Epiſcopus Dominicam haſtam ſubiit, ſe quoque atque omnes viuificae crucis munimine ſignat, benedictione publice data, ac vitalibus monitis conſolans & corroborans, ſignifer ipſe, cum* SANCTA HASTA, *in prima fronte aciei egredi parat. Sequenti mane Imperator cum ſuis, poſt Miſſarum ſolennia, a venerabili Bernwardo ſacramentis coeleſtibus, ac diuinis exhortationibus conſolati, aduerſus hoſtes certamen inſtruunt, ipſo Antiſtite cum* SANCTA HASTA *terribiliter fulminante.*

5) SIGEB. GEMBLAC. ad A. 1002. *Romani - - ſubito contra eum conſpirant, & aliquot militum eius peremtis, eum in* PALATIO *obſident. Vnde per induſtriam Henrici, Ducis Boioariae, & Hugonis, Marchionis Italiae, ſimulato pacto vix extractus, Roma decedit cum Sylueſtro Papa.* DITMARVS p. 357. Gregorium aliquem tumultus auctorem nominat. *Poſt hoc, Gregorius, qui Caeſari valde carus erat, dolo eum capere niſus, occultas tendebat inſidias &c.*

6) VIT. S. BERV. cap. 25: *Imperator turrim quandam aſcendens, ad illos*

OTTO III.

XXX.
Imperator Vrbe excedit.

Neque tamen fisus fallaci tranquillitati, vna cum Pontifice, Vrbe excessit, ac Rauennam se recepit: missis ad Principes Germaniae mandatis, vt, quantas quisque posset, copias sibi adducerent. Auctus milite Romam reuerti parat. [1] Natalitia eo anno Tuderti, † in Spoletana regione, vna cum Pontifice celebrauit, vti apparet ex Actis Synodi, in illa vrbe habitae. [2] Ibi febri tentari coepit: Cum ad Castrum Paternum venisset, quod prope Ciuitatem Castellanam est, ingrauescente vi morbi, moritur X. Kal. Febr. † [3] Ditmarus morbo extinctum scribit: vulgatus tamen rumor fuit, veneno sublatum a Stephania, Crescentii vidua. Occuluere mortem, qui circa Imperatorem erant, donec dispersae passim per infestos agros copiae securius contraherentur. † Moestus relegit iter exercitus, amisso Imperatore; miseratur quisque Principem extinctum in flore iuuentutis, egregium forma, liberalem, cupidum gloriae, aeque innutritum belli & pacis artibus: cum illo spem Imperii, & Germaniae concidisse: ne superesse quidem, cui nomen Otto-

† Todi.

Otto moritur.

† A. 1002.

† Ditm. p. 358.

Elogium eius.

illos concionabatur, dicens: Vosne estis mei Romani? propter vos quidem meam patriam, propinquosque reliqui. Amore vestro meos Saxones, & cunctos Theotiscos, sanguinem meum proieci: vos in remotas partes Imperii nostri adduxi, quo patres vestri, cum orbem ditione premerent, nunquam pedem posuerunt, scilicet vt nomen vestrum, & gloriam ad fines vsque terrae dilatarem: &c.

§. XXX. 1) DITMAR. Lib. IV. p. 358. *Nuncio simul omnes Caesar sibi familiares conuenire rogat, & praecipit: demandans singulis quibusque, si vnquam de honore sui, vel incolumitate curarent, ad vlciscendum eum, ac amplius tuendum, armato ad se milite properarent.* VIT. S. BERVARDI cap. 28. (Apostolicus & Imperator) *iubens vniuersos Theotiscos Episcopos - - ad illorum praesentiam festinare, cum omni suo* VASATICO, *ita instructos, vt ad bellum, quocunque Imperator praecipiat, posset procedere.*

2) Vit. S. BERWARDI. c. 32.

3) RVPERT. TVITIENS. in Vit. S. Heriberti, c. 2. §. 11 p. 470. *Otto in Patyrna castro, per mulierem veneno periit.* AVCTOR VIT. MEINWERCI §. 10. *Otto Paternum ingressus, cum generali omnium dolore - - obiit.* PETR. DAMIAN. in Vit. S. Romualdi §. 252. p. 296. *Rex - - languore correptus apud Paternum defunctus est.* Attamen ex Vita S. Bervardi, colligas Ottonem Tuderti obiisse.

OTTO III.

Ottonum innitatur. Coelebs enim obiit. Ablegaverat autem Constantinopolim Arnulphum, Mediolani Antistitem, vt nuptiale foedus, cum Graeci Principis filia, perficeret. Ille mortuo Caesare demum reversus est. [4] Videtur sane Otto in animo habuisse, vim Imperii, & dignitatem Romani nominis instaurare. Sed dum paratum etiam, & obsequia, qualibus olim coli Imperatores consueuerant, inducit, superbius fere agere visus est Germanis. [5] Praecipuam deducendi funeris curam habuit Heribertus, Cancellarius, Archiepiscopus Coloniae, cui Insignia etiam Imperii custodienda reliquerat. Corpus, vti rogauerat moriens, Aquisgrani, prope sepulcrum Caroli M. terrae mandatum est. [6] Viscera, Augustae Vindelicorum, in templo S. Afrae, Henricus, Bavariae Dux, condidit.

XXXI.
Synodi in Germania habitae.

In Germania nihil magnae rei per absentiam Caesaris actum. Synodos tantum, in quibus caussa inter Moguntinum & Hildesheimensem, ventilata est, memorant Annales. [1] Iuuat tamen vel tenuem illo-

O rum

4) LANDVLPHVS Hist. Mediol. Lib. II. c. 7. scribit Arnulphum Archiepiscopum ab Ottone Constantinopolim missum ad nuptiale foedus pangendum: iamque illum cum Sponsa appulisse Barium, cum nuntius de morte Imperatoris superueniret. Sed illi narrationi multa fabulosa immiscet. Breviter eiusdem Legationis mentionem facit ARNVLPHVS Lib. I. c. 13. Conf. PAGIVS ad a. 997. n. 7. 8. 9.

5) DITM. p. 357. *Imperator antiquam Romanorum consuetudinem, iam ex parte magna deletam, suis cupiens renouare temporibus, multa faciebat, quae diuersi diuerse accipiebant. Solus ad mensam, quasi semicirculum factam, loco caeteris eminentiori, sedebat.*

6) RVPERT. TVITIENS. l. c. cap. 3. p. 450. *Otto cum se mori persentiret, id supremum ab Heriberto postulauit, quatenus corpus eius Aquisgrani sepeliendum transferret. Hoc agere insistens vir fidelis, regalia quoque penes se habuit.* Conf. DITM. p. 358.

§. XXXI. 1) Fridericus Cardinalis Poletae interfuit Synodo. VIT. S. BERV. cap. 27. Iterum Synodus habita Francofurti. IB. c. 30. itemque Triburiae. Tandem Moguntinus concessit Hildesheimensi.

OTTO III. rum memoriam recolere * qui hoc Principe litteras etiam artesque in Saxonia paulisper excoluerunt. Nam & scholae tum floruere, praesertim Halberstadii, & Hildesheimiae, & instrui Bibliothecae antiquis Codicibus coeperunt. [2] Res Ecclesiastica per finitimos etiam populos incrementa habuit. Sueno, Danorum Rex, tandem reuersus est ad deserta sacra. Vtque principes Orientis Russorum conuersionem, pacto cum Rege Vlodomiro foedere, procurauerunt; ita sub Ottonibus Hunni sensim ad Christianum ritum perducti sunt. Eam rem Stephanus, quem modo baptizatum a S. Adalberto commemoraui, [3] cum patri successisset, † perfecit. Illum Otto Regem appellauit, data in matrimonium Gisala, Henrici, Ducis Bauariae, (qui postea regnauit,) sorore, vt pacis cum Imperio, & sacrorum eo firmior esset ratio. [4] Syluester Papa, coronam insuper misit, quam prisca re-

Hunnorum conuersio.

† A. 997.

Stephani Regis elogium.

* VIRG. *Inuentas aut qui vitam excoluere per artes,*
Quique sui memores alios fecere merendo.

2) VIT. S. BERVARDI cap. 5. *Scriptoriae namque non in monasterio tantum, sed in diuersis locis studebat, vnde & copiosam Bibliothecam tam diuinorum, quam Philosophicorum Codicum comparauit. Picturam vero, & fabrilem, atque clusoriam artem, & quidquid elegantius in huiusmodi arte excogitari, vel ab aliquo inuestigari poterat, nunquam neglectum patiebatur; adeo, vt ex transmarinis & Scoticis vasis, quae Regali Maiestati dono deferebantur, quidquid rarum vel eximium reperiret, incultum transire non sineret; ingeniosos namque pueros, & eximiae indolis, secum vel ad curtes ducebat, vel quocunque longius commeabat: quos, quidquid dignius in illa arte occurrebat, ad exercitium interpellebat. Musiuum praeterea in pauimentis ornandis studium, nec non lateres ad tegulam, propria industria, nullo monstrante, composuit &c.*

3) Vid. CHARTVITII, Episcopi in Vngaria, Vita S. Stephani, quam Colomanno Regi dedicauit. Conf. PAG. ad a. 996. n. 8.

4) Ottonis *merita* in conuersione Hunnorum commendat DITMARVS pag. 360. *Imperatoris autem praedicti gratia & hortatu, gener Henrici, Ducis Bauariorum, Waic, in Regno suimet, episcopales cathedras faciens,* CORONAM *cum benedictione accepit.* Specialius ADEMARIVS in Chr. *S. Brunus conuertit ad fidem Vngriam prouinciam, & aliam, quae vocatur Russia; Regem Vngriae baptizauit, qui vocabatur Geiz, & mutato nomine in*

OTTO III.

religione ſacram Hungari in coronandis Regibus retinuerunt.[5] Stephanus Regnum omne in decem Dioeceſes diſtribuit, & Strigonienſem Praeſulem praefecit reliquis. Ea ratione dum Hungarica Eccleſia efformatur, Germanicae aliquid decedit, & in ſpecie Paſſauienſi, cui Ius Metropoliticum per partem Pannoniae paulo ante aſſignatum fuerat. Praeterea Stephanus cognatum Regem, qui Tranſyluaniam obtinebat, ad eadem ſacra compellens,[6] Daciae quoque Chriſtianam Diſciplinam iterum intulit.

Fides per Tranſyluaniam recepta.

in baptiſmo Stephanum vocauit: quem Otto Imperator, in natali Protomartyris Stephani, a baptismate excepit, & regnum ei liberrime habere permiſit, dans ei licentiam ferre lanceam ſanctam vbique, ſicut ipſi Imperatori mos eſt, & reliquias ex clavis domini, & de lancea ſancti Mauricii, ei conceſſit in propria lancea. Rex quoque ſupradictus filium ſuum baptizare iuſſit, & ſanctus Bruno impoſuit ipſi nomen, ſicut ſibi, Stephanum. Poſtea vero ipſi filio eius Stephano Otto Imperator ſororem Henrici, poſtea Imperatoris, in coniugio dedit. In eo tamen lapſus eſt, quod S. Brunoni adſcribit, quae S. Adalberto tribuit Auctor vitae eius, & CHARTVITIVS in vit. S. Stephani.

5) Epiſtolam Syluestri Papae dedit INCHOFERVS in Annal. Eccleſ. Hungar. p. 256. ſed valde obnoxiam ſuſpicionibus.

6) ANNAL. HILDESH. ad A. 1003. *Stephanus Rex Vngariae, ſuper auunculum ſuum Regem Iulum, cum exercitu venit, quem cum comprehendiſſet, cum vxore & filiis duobus, regnum eius vi ad Chriſtianitatem compulit.*

LIBER QVARTVS.

HENRICVS II.

I. Henricus, Bauariae Dux, regnum ambit.

Post mortem Ottonis, tam in Germania, quam Italia, variis ſtudiis diſtracti hominum animi, pluribus ad regnum, atque Imperium adſpirantibus. Eminebat inter reliquos Henricus, Bauariae Dux, Henrici illius, qui ſub Ottonibus II. & III. Regnum turbauerat, ex Giſala Burgundica, filius. Is Proceres, quos, funus Ottonis ex Italia deducentes, hoſpitio exceperat, modis omnibus ſollicitat; obtinetque, vt inſignia Imperii fidei ſuae committerent. Heribertum, Colonienſem Archiepiſcopum cunctantem, excuſantemque ſecuturum ſe, quo maior meliorque pars vergeret, appoſitis cuſtodibus vrget, vt fratre vade dato, ſacram lanceam, quae inter praecipua Imperii pignora habebatur, quamque alio itinere ex Italia praemiſerat, remiſſurum ſe ſponderet. † Ottonem quoque, Carinthiae Ducem & Veronae Comitem, qui Conrado Duce genitus, per matrem Luitgardin, ad Ottonem M. genus referebat, Auus Caeſar, & propria virtus, vt imperium peteret, excitare videbatur. Sed ille ſponte conceſſit Henrico. * Maiori ambitu Hermannus, Dux Alemanniae,[1] ad regnum nitebatur:

† Dit. p. 358.

Itemque Hermannus, Sueuiae Dux.

§. I. * DITM. p. 370. *Cum poſt mortem Cæſaris iure conſanguinitatis, & ætatis, virtutumque maturitate, ab Henrico tunc Duce, in Regem eligeretur, tantum hoc onus humiliter excuſans, eundem primos per internuncios, ac per ſe ipſum, quaſi ad haec aptiorem, ſibi praepoſuit, fideliterque ſemper adiuuit.*

1) Vulgo Hermannum, filium Ottonis, Sueuiae & Bauariae Ducis, cuius ſupra meminimus, faciunt. Sed nullo certo teſtimonio. Contrarium potius

batur: praeter amplitudinem Ducatus, Burgundica affinitate & ipſe clarus, quippe Gerbergam, Conradi Regis filiam, in matrimonio habebat. Ei Epiſcopi Conſtantiae, & Curiae, nec non plerique proceres, qui Aquisgranum ad exequias Ottonis † venerant, operam ſuam addicunt. In Saxonia Eccardus, [2] Thuringiae nuper Dux creatus, clarus militia Vir, opibusque & clientelis valens, Regnum animo praeſumit: multumque Bernhardo, Saxoniae Duci, cuius ſororem, Svanehildin, in matrimonio habebat, multum vtrique Boleslao, Polonorum, Bohemorumque Principibus, fidens, Saxonum animos aliquamdiu ſuſpenſos tenuit. Conuentus tum paſſim per Germaniam deſignandi Regis cauſa agebantur. Neque enim ad vnum generalem Conuentum, ob aemulorum contentionem, adduci res poterat. In Saxonia quidem Werlae [3] convenerunt, quotquot familiae Regali bene cuperent; aderantque Adelheidis & Sophia, ſorores Ottonis. [4] Illi

HENRICVS II.

† die Paſchatos.

Et in Saxonia Eccardus.

O 3 cum

potius colligas ex ADELBOLD. Vit. S. Henr. cap. 5. *Remanſit contentio, inter Henricum Ducem glorioſiſſimum, & Herimannum, virum potentiſſimum, ſed breuit, & cito finem habitura. Erat namque alter alteri diſſimilis nobilitate, & ſapientia, facultate, & corporis elegantia.* Si Hermannus nepos fuiſſet Ludolfi, non arguiſſet ADELBOLDVS nobilitatis diſcrimen, inter ipſum & Henricum. DITMARVS p. 370. eum vocat matris ſuae Auunculi filium.

2) Hic eſt, Eccardus I. Marchio Thuringiae, filius Guntharii Marchionis, inter clariſſimos Saxoniae Principes, numerandus. Elogium eius ap. DITMARVM p. 366. *Huius vitae curſum quam probabiliter egit, hoc etiam teſtificatur, quod apud Dominum ſuimet beneficii maximam partem acquiſiuit in proprietatem; Milcienos a libertate indita ſeruitutis iugo conſtrinxit; Boiemorum Ducem, Bolizlau, qui cognominatur Ruffus, ad* MILITEM *ſibi, aliumque* (ſc. Polonum) *ad amicum familiarem, blanditiis ac minis, adipiſcitur. Super omnem Thuringiam, communi totius populi electione,* DVCATVM *promeruit. Comites vero Orientales, paucis tantum exceptis, regnumque in ſpe, habuit.*

3) Curtis in patrimonio Saxonicae Domus, ſita in dioeceſi Hildesheimenſi, cui Eccleſiae A. 1086. Henricus IV. illam donauit. vid. Dipl. ap. HEINECC. Antiqv. Goslar. p. 99.

4) Illa Quedlinburgenſis Abbatiſſa erat: haec Gandersheimenſis paulo poſt facta eſt.

HENRICVS II.

cum Henrico, nam & ipſe legatum miſerat, regnum decernerent, Eccardus, fremens ira proripuit ſe, ſtatuitque ad Lotharingos, quos fama erat Duisburgi conuenturos, tendere, atque ſi ipſum iam regnare fata non ſinerent, Hermanni fortunam ſequi.[5] Hildesheimi Regiis fere honoribus excipitur. Paderbornae cum dilatum eſſe Conuentum Duisburgenſem comperiſſet, retroflectit iter. Vbi Poletam[6] diuertiſſet, Sigefridus & Bernhardus, filii Comitis Nordheimii, ex inſidiis eum aggrediuntur, & nequicquam fortiter reſiſtentem occidunt, cumque eo fomitem ciuilis belli opprimunt. †

Is occiditur Poletae.

† Ditm. p. 366.

II.

Henricus coronatur Moguntiae.

Henricus, fretus voluntate Francorum & Bauarorum, iamque & de Saxonibus, ſublato aemulo, bene ſperans, vt regnum quantocius capeſſeret, Moguntiam contendit, declinato Hermanno Duce, qui ad Wormatiam conſederat, prohibiturus Rheno. Coronatus VIII. Id. Iun. a Willigiſo Archiepiſcopo, primos in fidem recepit Francos, & Moſellanos.[1] Ea res iterum offendit Colonienſem. Saxones etiam queſti ſunt, ſemet inſciis feſtinata eſſe regni auſpicia. † Interea Hermannus Dux, vrbem Argentoratum, † quia Epiſcopus Vicelinus partes Henrici ſequebatur, expugnatam, militi diripiendam dederat. Rex in Sueuiam profectus, praedia Ducis populatur; cum vero proelii copiam non faceret, ad Saxones pergit. Tranſeunti per Thuringiam adſunt Prouinciae Proceres, fidem-

† Chr. Sax.

† Ditm. 366.

Aduerſus Sueuiae Ducem mouet.

5) DITMAR. p. 365. Hoc ſenſu ATHELB. c. 5. *Eccardus, neſcio an in adipiſcendo regno ſpem tenens, an rebellionem meditans ... interficitur.*

6) Haec quoque villa, inter Nordhuſam & Nordheimium ſita, curtem Regiam habuit. Hodie *Poelde.*

§. II. 1) DITM. p. 368. *Hic VIII. Id. Iunii, communi ibidem deuotione in Regem electus, a Willigiſo, eiusdem Sedis Archiepiſcopo, ſuffraganeorumque ſuimet auxilio, accepta Regali vnctione, cunctis praeſentibus Deum collaudantibus, coronatur. Francorum & Muſelenenſium Primatus, Regi manus tunc applicans, gratiam eiusdem meruit.*

HENRICVS II.

Mersburgi a Saxonibus agnoscitur.

fidemque iurant.[2] Mersburgi illum praestolabantur Saxoniae Principes, Archiepiscopi duo, Libentius Bremensis, & Gisilerus Magdeburgensis, vna cum Episcopis Verdae, Paderbornae, Hildesheimi, Misnae, & Cizae: praeterea Bernhardus Saxoniae, & Boleslaus, Polonorum Duces: Lotharius & Gero, Marchiones, Fridericus, Comes Palatinus, & Esico, Mersburgi Comes, cum pluribus aliis. Ibi Bernhardus Dux, advocata concione, VIII. Kal. Aug. stipulatus ante veterum legum & consuetudinum conseruationem,[3] omnium nomine Regem salutauit, lanceamque, insigne Regni, tradidit[4].

III.

Boleslaus, Saxoniae limitem populatur.

Ab hoc conuentu Boleslaus nequaquam pacato discessit animo. Is vbi, Eccardo occiso, nudatum Saxoniae limitem, prouinciales variis partium studiis diuelli videret, opportuno proferendis finibus tempore vtens, primum in Lusatos se effuderat, caputque regionis Milcienae, Budissinam, ceperat. Tum prolatis ad Albim victricibus signis, non Strelam modo,[1] ad quod oppidum vetus Albis traiectus est, sed Misnam quoque, auxilio affinis sui Guncelini, † occupat. Inde ad Elistram fluuium, qui in

† Ditm. p. 366. sq.

2) DITM. p. 368. *Ibi Wilhelmus, Thuringiorum tunc potentissimus, obviam pergens, dominumque venientem cum magna gratulatione suscipiens* MILES REGIS *efficitur. Ibi tunc Rex a praefato Comite, & a Primatibus illius regionis collaudatur in dominum, & ab omni populo rogatus, debitum bis remisit censum.*

3) Ita Henricus inter alia ad Saxones, ap. DITM. p. 368. *Legem vestram non in aliquo corrumpere, sed vita comite malo clementer in omnibus adimplere.*

4) DITM. p. 368. *Bernhardus igitur Dux, accepta in manibus sacra lancea, ex parte omnium, regni curam illi fideliter committit.* ATHELB. cap. 2. de hoc Saxonum conuentu scribit: *Fide promissa Regem coronant, coronatum in solio locant.*

§. III. 1) DITM. p. 366. *Interim Boleslaus, Misiconis filius, patre longe inferior, de morte laetatur comitis Eckhardi, moxque collecto exercitu, omnem Geronis Comitis Marcham, citra Albim iacentem, deindeque praemissis obsidibus Budissinam ciuitatem, cum omnibus adpertinentiis, comprehendens, statim Strelam vrbem inuasit,* &c.

HENRICVS II.

in Albim illabitur, progreſſus, commodis locis praeſidia ponit, callide ſpargens: Henrico Duce auctore cuncta ſe facere, in illius, ſi regno potiatur, arbitrio omnia fore. Quare nec Nobiles, nec Miniſteriales, qui praedia in iis regionibus habebant, in clientelam eius concedere detrectabant. Nunc agnito ab omnibus Henrico Rege, ita res compoſita, vt Boleslaus Milcienos vicinoſque Luſatos reciperet: Marchiam Miſnenſem affinis eius, Guncelinus, obtineret, frater Eccardi illius, quem paulo ante Poletae occiſum commemoravi.[2] Sed eam pacis & concordiae conditionem fortuita res abrupit. Cum enim diſceſſurus Boleslaus, Regi valediceret, in limine palatii inter milites eius, & Germanos ſatellites, oritur rixa, cauſantibus hiſce, Polonos immodeſtius in Regia ſe gerere. Ille inſidias ſibi paratas expoſtulat, vel quod ita crederet, vel vt colorem armis quaereret. Namque in ipſo itinere Strelam oppidum incendit, magnamque hominum vim ex agris abſtractos in captiuitatem duxit. † Hae veluti faces praeluxerunt diuturno bello, quod poſtea geſtum eſt.

Guncelinus Marchiam Miſniae obtinet.

† Ditm. p. 369.

IV.

Henrici iter ad Lotharingos.

Rex autem ad Lotharingos, quos Duisburgi convenere iuſſerat, proficiſcitur. In eo itinere Corbeiae[1] occurrit vxor Cunegundis, Sigfridi, Comitis Luxemburgi filia, & Paderbornae a Willigiſo Moguntino coronata eſt. † Duisburgi inter primos adfuere Epiſcopi Leodienſis, & Cameracenſis. Cunctatus aliquandiu Colonienſis, & multum querens de praelato ſibi in vnctione Regali Villegiſo, tan-

Cunegundis Regina coronatur.

2) DITM. p. 369. *Bolislaus autem Miſnenſem vrbem tantummodo innumerabili pecunia acquirere ſatagebat, & quia opportunitas regni non erat, apud Regem non valebat: vix impetrans, vt haec fratri ſuo Gunzelino daretur,* REDDITIS *ſibi* LVIDIZI *&* MILLIZIENI *regionibus.*

§. IV. 1) DITMARVS p. 366. ATHELB. in Vit. Henr. cap. 2. Grunae occurriſſe ſcribit Cunegundam.

tandem & ipſe ad Comitatum venit. Inde Aquiſgrani repetita ſunt Regni auſpicia. [2] Iam nec Sueuiae Dux obluctari diutius fortunae auſus, Kal. Octobr. Bruchſaliae Regi ſe ſubmiſit, eumque paulo poſt in curia Francofurti ad Moenum obſequiis, qualia ſolent Vaſalli Dominis praeſtare, coluit. [3] Ita Henricus, ad regnum, quamuis familiae iure ſibi deberi contenderet, obtinendum, ſingulorum populorum ſuffragia colligere opus habuit. In eo autem gerendo, non religionis minus quam fortitudinis et ciuilium artium laudem promeruit. Acceſſit a litterarum ſtudiis commendatio, quibus (vt ferebat ſeculum illud) adoleſcens, in ſchola Hildesheimenſi, innutritus fuerat. [4]

HENRICVS II.

Hermannus Dux Regi ſe permittit.

Henrici elogium.

V.

Itali aliquot Harduinum Regem appellant.

In Italia ſtatim poſt Ottonis III. obitum, factione Longobardorum aliquot Procerum, Harduinus, Comes Eporediae, Berengarii Regis nepos, Rex appellatus, atque Ticini in aede S. Michaelis † coronatus erat. Reuerſus autem ex legatione Byzantina Arnulphus, Mediolani Archiepiſcopus, rem ſine ſua auctoritate

† d. 25. Febr.

P ſusce-

2) DITM. p. 369. *Rex autem recto itinere hinc ad Duisburg perueniens, Luitharienſes quam tarde, Leodicenſis vero & Cameracenſis Praeſules primi huc venientes, Archiepiſcopum Colonienſem diu morantem expectant. Quem cum altius, quam quiſquam crederet, cuſtodia, qua paululum, ſicut iam dixi, detinebatur, in mentis ſecreto morderet, ſimulabat ſe ob hoc tam ſero ad Regis gratiam acceſſiſſe, quod, in accipienda benedictione, Moguntinum ſibi Rex voluiſſet praeponere. Igitur hi confratres, Epiſcopi ſcilicet, Regem pariter eligentes, fidemque ſacramentis firmantes, vſque ad Aquiſgranum eundem comitantur. Quo in natiuitate S. Mariae a Primatibus Luithariorum in Regem collaudatur, inque ſedem Regiam, more anteceſſorum ſuorum exaltatur, & magnificatur.*

3) DITM. p. 371. *Ibi quoque Dux Hermannus humiliter Regi* FAMVLATVR, *& a Rege caritatiue, vt talem decuit perſonam, habetur.*

4) Vit. MEINW. c. 4. *Liberalibus ſtudiis, & ſpiritualibus imbuendus diſciplinis, in praefata Haluerſtadenſi Eccleſia tenerioris aetatis rudimenta, prouectioris vero in Eccleſia Hildenesheimenſi peregit: vbi Heinricus, filius Ducis Baioariae Heinrici, cum aliis plurimis, honori & decori Eccleſiae Chriſti ſuo tempore profuturis, ſecum theoriae ſtudiis continuam operam dedit.*

HENRICVS II.

ſuſceptam, atque Harduinum ipſum modis omnibus improbat: auctorque eſt, minime ſollicitari debere Germaniae Italiaeque concordiam, illa niti quietem Italiae, & Romani Imperii decus, proximum libertati eſſe Germano Principi parere. Praeter Arnulphum, Friderici, Ravennae Praeſulis, & Theobaldi,[1] Marchionis Tuſciae, in Henricum fauor eminuit. Nonnulli etiam ex ipſis, qui Harduinum elegerant, ſtudia mox in odium vertunt. Alii ambigui animo, vnde maior lucri ſpes affulgeat, expectant. * Arnulphus Proceres ad Concilium vocat.[2] In eo vitio creatum Harduinum ſtatuunt, rogandumque Henricum, vt in Italiam veniat, aut ſaltem Principum aliquem cum exercitu mittat. Henricus cum ipſe Germania excedere tuto non poſſet, Ottonem Carinthiae Ducem, Veronaeque Comitem, cum modicis copiis, (quippe Itali cum ſuis praeſto eſſe receperant) praemittit, eique adfuere Erneſtus, filius Luitpoldi, Marchionis Auſtriae, & cum fratre, Ottone, Gebhardus, Ratisbonae Epiſcopus. Cum ad fluuium Brentam conſediſſent, Harduinus, occupata Verona, primum prohibuit, ne Archiepiſcopus Rauennae, et Theobaldus Marchio copias cum iis coniungerent; mox paucitate Germanorum comperta, imparatos aggreditur, & in fugam coniicit.[3] Qua victoria dum ſe ferocius iactat, Germanum Principem eo deſiderabiliorem Italis facit.

Maior pars ad Henricum inclinat.

Harduinus Henrici copias profligat.

Regem

§. V. 1) DITM. p. 359.

* ARNVLPH. l. 15. *In medio Principes Regni fraudulenter incedentes, Arduino palam militabant, Henrico latenter fauebant, auaritiae lucra ſectantes.*

2) LANDVLPHVS lib. II. c. 19. *Dominus Arnulphus in Roncalia, cum omnibus Italiae Primatibus Conuentum ſtatuit, vbi cum diuerſe de Regni negotiis tractaſſent, Arduini ſpreto dominio, quod malis artibus vſurpauerat, Henricum primum, Theutonicum, ſcientia illuſtrem, armis fortiſſimum, militumque copiis abundantem, & diuitiis affluentem elegit.* SIGONIVS, incertum quo auctore, in oppido, Laude Pompeii, hunc conuentum habitum ſcribit.

3) DITM. p. 370.

HENRICVS II.

VI. Henrici Marchionis rebellio.

Regem ipſum in Germania detinebat bellum, quod Henricus Suinfurtenſis, Marchio Bauariae,[1] ſuſcitauerat. Is nitenti ad Regnum vtilem operam in deuinciendis Francorum, & Bauarorum animis nauauerat, accenſus ſpe obtinendi Ducatus Bauariae. Hunc deinceps a Rege petens, cum reſponſum tuliſſet, non poſſe Ducem inconſultis Prouincialibus dari, ſuſpicatus, quod res erat, deſtinari Ducatum Henrico Luxemburgio, fratri Reginae, premit quidem dolorem, Regemque in Saxoniam, ad Conuentum Mersburgenſem, comitatur.[2] Sed ibi cum Boleslao Polono communicat infeſta conſilia,† quibus mox exitum praebuit mira rerum in Bohemia conuerſio. † Ditm. p. 369.

VII. Conuerſio Rerum in Bohemia.

Initium a crudelitate Boleslai Ducis, cognomento Rufi, qui, vt ſolus tutius regnaret, fratrem Iaromirum, exſectis virilibus, vna cum matre, atque altero fratre, Otelrico, regno expulerat. Bohemi enim, impotenter dominantem minime ferentes, mox ipſum deturbant, & Vlodomirum aliquem e Polonia Principem adſciſcunt. Isque ab Henrico etiam Ratisbonae† inueſtitus eſt.[1] Boleslaus ad Poloniae Ducem con- † A. 1002.

P 2 fugit.

§. VI. 1) Henricus Suinfurtenſis vulgo vocatur, a Suinfurto, gentilitio oppido: Genus traxit e nobiliſſima ſtirpe Francica, veterum Comitum Bambergae. Praefectus fuit limitis Bauarici verſus Bohemiam: quae Marca poſtmodum Vohburgenſis appellata fuit. Conf. ECCARDVS in Praef. ad Geneal. Princip. Saxon. §. 23.

2) DITM. p. 368. *Henricus Comes, Bertoldi, amitaeque meae filius, ad regni apicem acquirendum Regi vſque huc fidelis adiutor, animaduertens ſenioris ſui ſibi paululum alienam mentem, per optimos exercitus eiuſdem viros, diu firmiterque promiſſum Bauarii regni Ducatum, dari poſtulauit. Quibus Rex tale fertur dediſſe reſponſum: Nonne ſcitis, haec in hac expeditione nequaquam fieri poſſe: Bauarios ab initio Ducem eligendi liberam habere poteſtatem: non decere tam ſubito eos abiicere, eiuſque conſtitutionis antiquae ius, abſque conſenſu eorum, frangere: ſi voluiſſet expectare, vſque dum ipſe ad has regiones venirem, cum communi conſilio Principum eorundem, ac voluntate, ſibi libenter in hoc ſatisfacerem.*

§. VII. 1) DITMARVS Vlodoveium vocat, atque Ratisbonae inueſtitum

HENRICVS II.

fugit. Mortuo paulo poſt Vlodomiro, Iaromirus & Otelricus a Bohemis reuocantur. Polonus contra Boleslaum valido exercitu in regnum reſtituit, non tam hoſpitii religione adductus, quam vt ſibimet ipſi ad Bohemiam aditum praeſtrueret, prouidens, fore, vt mox illum crudelitas ſua inuiſum omnibus faceret. Neque haec

Boleslaus Polonus Bohemia potitur.

fefellit coniectura. Namque vindictae immodicus, adeo exaſperauit Prouincialium animos, vt, miſſis clam Legatis, Polono regnum offerrent. Ille, vbi de conditionibus conuenit, conſobrinum, omnium rerum ignarum, ad colloquium inuitat, captumque luminibus orbat. Iamque regnum, ſpreta Henrici Regis auctoritate, uſurpans, [2] maxime laetabatur, praeter Italicum bellum, nouum in media Germania hoſtem inſurgere.

VIII.

Rex aduerſus Marchionem proficiſcitur.

† Ditm. p. 372.

Itaque Marchioni, iam manifeſte hoſtilia ſpiranti, † militem ſubmittit. Habebat idem plures e neceſſariis, & amicis aſſeclas, inprimis Erneſtum, Luitpoldi Auſtriaci filium, & quo ſe maxime iactabant factioſi, Brunonem, fratrem Regis, qui & ipſe aegre ferebat, Ducatum Bauariae Luxemburgio dari. Rex ante omnia tam propinquum hoſtem, incubantem confiniis Franciae & Bauariae, opprimere ſtatuit. Primum Martalam, inclitam vetuſta fama

tum ſcribit p. 370. *Iſte autem potiori vſus conſilio, ad Regem, Ratisbonae adhuc commorantem, proficiſcens, cum humili ſubiectione, & fideli promiſſione, hunc in dominum elegit, & quae poſtulauit, ab eo* IN BENEFICIVM *acquiſiuit.* ADELBOLD. in Vit. S. Henrici, cap. 14. *Regensborg igitur S. Martini ſolennia celebrans, Blademario cuidam, Slauo, Ducatum Boemicenſem largitur, & vt ceteris acceptabilior exiſtat, illum plus iuſto & verbis & rebus honorat.*

2) DITM. p. 371. de Henrico Rege: *Nuncios ad Boleslaum miſit, mandans ei, ſi terram a ſe nuper occupatam, de ſua gratia, vt ius antiquum poſcit, retinere, ſibique in omnibus fideliter vellet ſeruire, ſe eius voluntati in his aſſentire, ſin alias, ſe armis illi velle contraire. Hanc legationem etſi iuſtam, & bene compoſitam, tamen Boleslaus indigne ſuſcipiens, futuram ultionem merito promeruit.*

fama arcem, expugnatam diruit. Dein Crusenam [1] oppidum, in quo Marchio vxorem Gerbergam cum liberis, imposito in praesidium fratre Burchardo, collocauerat, obsidet. Accurrens ille cum suis profligatur a Regiis, capiturque Ernestus, quem ad mortem a iudicibus damnatum, Rex intercedenti Willigiso, vt redimere liceret, concessit. [2] Obsessi, abitum ante liberum pacti, oppidum dedunt. Interea Boleslaus, vt a sociis auerteret vim Regis, simul spe proferendi limitis, ad Albim excurrit. Cum Gunzelinum Marchionem, vt Misnam oppidum sibi traderet, frustra sollicitasset, fluuium prope Strelam traiicit, pagumque Glomacensem populatus, vltra tria millia captiuorum, cum insigni praeda, abduxit. † Henricus vero Marchio, minime se parem Regi intelligens, oppidum Cranacum, [3] in quo vno praecipuum spei reliquum erat, ipse incendit, atque cum Brunone ad Boleslaum in Bohemiam confugit, eumque, vt in finitimam Bauariam militem immittat, impellit. [4] Rex autem Wirceburgensem Episcopum, & Erkanboldum, Abbatem Fuldensem, Suinfurtum misit, qui vrbem, quam praecipuam fortunarum suarum sedem familia Henrici videtur habuisse, ferro & igni exscinderent. Agebat tum Suinfurti Eila, mater Marchionis, quae, intellecta Regis voluntate, ad templum confugit, te-

HENRICVS II.

Polonus Misniam populatur.

† Ditm. p. 373.
Henricus Marchio ad Boleslaum confugit.

P 3 stata

§. VIII. 1) DITMARVS p. 372. nominat *castellum CRVSNI.* Videtur hoc nomine designari *Creussen*, oppidum in ditione Culmbacensi, haud procul Barutho.

2) DITM. p. 372. *Praesentatoque Regi captiuo, capitalis sententia a iudicibus decernitur, quae, Moguntini Archipraesulis intercessione supplici, & quae Regi placuit, redemtione, amouetur.*

3) DITMARVS vocat Cronam. Id vulgo interpretantur Cronacum, (*Cronach.*)

4) DITM. p. 376. *Bolislaus eodem suo furore, & Comitis Henrici instinctu, magnam vim Bauariis, omnibusque conciuibus suis, intulit.*

HENRICVS II.
† Ditm. p. 373.

ſtata perire ſe vna malle, quam tali incendio ſupereſſe. Illi conſtantiam matronae, pietatemque reueriti, modum vltioni ponunt, contenti, moenia urbis deieciſſe.† Rex ipſe, deuaſtatis reliquis praediis Henrici, Bambergam conceſſit. [5]

IX.
Rex Epiſcopatum Mersburgenſem inſtaurat.
† A. 1004.

In Saxoniam reuerſo animus erat Milcienos a poteſtate Boleslai vindicare. Ante tamen Mersburgenſem Eccleſiam, quam Giſileri auaritia peſſum dederat, reſtituit. † Fauit pietati Regis Tageno, nuper defuncto Giſilero ſurrogatus. Eido quoque Miſnenſis, & Hilleuardus Cizenſis, quae quiſque ex clade Mersburgenſi tenebat, iuſſu Regis reddiderunt. [1] Arnulphum Halberſtadienſem, qui intra ſuam dioeceſin oppidum eſſe aſſerebat, dato agro haud modico placauit. [2] Ita redintegratum Epiſcopatum dedit Wigberto, Capellano ſuo, [3] viro ſedulo in erudiendis Paganiſmi reliquiis quales paſſim in ea Dioeceſi reperiebantur. [4] Inde in regionem Milcienorum ducturus, cum, niuibus tepidiore forte vento ſolutis, ob aquarum exundationem progredi non poſſet, partem copiarum ſub Gunzelino Marchione,

In Milcienos mouet.

5) DITM. p. 373. *Rex deuaſtata omni Comitis proprietate, & cum beneficio late diuiſo, ad Baueberg venit.*

§. IX. 1) DITM. p. 375. *De Miſnenſi autem & Cicenſi Epiſcopatibus decretum Regia poteſtate ad integrum redire, quod antiquitus hinc demtum.*

2) IBID. *Quia aliter non poſſe fieri apud Arnulphum Praeſulem ſciebat, cum centum concambio Manſorum, ſuper ſolum Merſeburgenſe Burgvvardium, Epiſcopalem redemit bannum.*

3) DITM. p. 376. *Conuocansque ad ſe omnes regni primates, dedit Epiſcopatum ſanctae Merſeburgenſis Eccleſiae Capellano ſuimet Wigberto, cum Archiantiſtitis baculo Tagmonis, cum quo ipſe, quicquid anteceſſor ſuus iniuſte de hac auferre praeſumit Eccleſia, renouationi eiuſdem arridens reddidit; conſentiente hoc Arnulpho praeſule, Eido quoque & Hillebordo Epiſcopis, quibus dioeceſis illa fuit diuiſa, ac omni populo applaudente. Ductus mox cum diuina iubilatione ad ſedem ſuam Wigbertus, eodem die, ab Archiepiſcopo ſuimet Tagmone, & a confratribus Hillerico & Wigone, cum praedictis Coëpiſcopis, conſecratur.*

4) Vid. Elogium Wigberti apud DITM. p. 384. 385.

HENRICVS II.

chione, aliisque Comitibus, qui in illo limite excubabant, ad muniendos fines collocat:[5] ipse Mersburgum redit. Ibi Henricum Marchionem Archiepiscopus Magdeburgi, & Bernhardus, Saxonum Dux, supplicem & sordidatum[6] Regi sistunt, veniamque ea lege impetrant, vt praedia, quae in patrimonio habuisset, recepturus, pro lubitu Regis in custodia maneat.[7] Missus est in arcem Giebichensteinam, ad Salam amnem, prope Halam. † Ex qua eum custodia Rex sequente anno, ad preces Godschalci, Episcopi Frisingensis, dimisit. † Bruno ad Stephanum, Regem Hungariae, & sororem Gisilam confugerat. Hisce intercedentibus, paulo post in gratiam receptus est: † donatusque deinde Augustano Episcopatu, memoriam iuuenilis leuitatis, dignis loco suo moribus expiauit.

Henricum Marchionem & Brunonem in gratiam recipit.

† Ditm. p. 376.

† Ibid. p. 379.

† Ibid. p. 376.

X.

Rex in Italiam proficiscitur.

Interea Regem de asserenda Italia iam sic sollicitum, ne sibi vlterius deesset, vrgebant Itali, & communi nomine orabat Veronensis Episcopus, qui cum aliis aliquot Proceribus in Germaniam venerat.* Accinctus iam ad eam expeditionem, Ratisbonae Henrico Luxemburgio Bauariae Ducatum, fauentibus nobilitatis populique studiis, tradito vexillo, in beneficium dedit.[1] Augustae Vindelicorum Cunegundae

Henrico Luxemburgio Ducatum Bauariae dat.

5) DITM. p. 376. *Gunzelino Marchioni, caeterisque patriae defensoribus, positis auxiliatur praesidiis.*

6) DITM. p. 376. MORE *&* HABITV POENITENTIS *se tradidit.*

7) IBID. *Praefato Comiti suimet gratiam ea ratione indulsit, vt praedium sibi, suisque fautoribus, & incolatum redderet, ipsum autem, quamdiu voluisset, in custodia detineret.*

§. X. * ANN. HILD. ad An. 1004. *Rex natiuitatem Domini Palidi mansit. Illo ad eam Episcopus Veronensis, ac alii quidam Primores Italici Regni venerunt, cum regiis muneribus.*

1) DITMAR. p. 376. *Inde per Thuringiae, orientalisque fines Franciae transiens, ad Ratisbonam venit, ibique Regali habito placito,* MILITI SVIMET, *generoque, Henrico, XII. Kal. April. cum omnium laude praesentium, cumque* HASTA SIGNIFERA, *Ducatum reddit.*

HENRICVS II.

dae Reginae valedixit, recedentique in Saxoniam, Tagenonem Archiepiſcopum, conſiliorum in regenda Republica arbitrum dedit. Superatis difficili itinere Alpibus, caſtra ad Brentam amnem poſuit. Harduinus prope Veronam conſederat, ſed cum orta in exercitu diſcordia, maior pars dilaberetur, impar congreſſui, ipſe quoque ad arces ſuas ſe recepit. Henricus Veronam progreſſus, obuiam habuit Marchionem Tuſciae, Theobaldum. [2] Brixiae ab eiusdem vrbis Epiſcopo, Ethelbero, & Archiepiſcopo Rauennae excipitur. Mediolanenſis Bergami occurrit, cumque paulo poſt Ticini, in ſplendidiſſima Epiſcoporum, & reliquorum Italiae Procerum corona, † Regem inaugurauit. [3] Sed illius diei laetitiam foeda tumultu nox fere euertit. Orto inter comiſſandum, inter plebem vrbanam, & milites iurgio, ingerunt ſe qui clam Harduino fauebant, & exaggerando priorem Germanorum, ſub Ottone Duce, cladem, acuunt ferociam Longobardorum. [4] Conuolant ſeditioſi ad palatium. Heribertus, Archiepiſcopus Coloniae, de feneſtra proſpiciens, dum ſedare furentium animos ſatagit, lapidibus ferme & ſagittis obruitur. Franci, Alemanni & Lotharingi milites, qui per agros diſtributi erant, cognito Regis periculo, accurrunt. Fit mutua ſtrages; palatium, vetus Longobardorum Regia, &

Coronatur Ticini.
† d. 12. Maii.

2) DITM. p. 377. *Occurrit diu expectatus Thiebaldus Marchio, cum praedictis auxiliatoribus, gaudens, tempus aduenisse, quo ſecretum bonae voluntatis ſibi liceret huic aperire.*

3) DITM. p. 377. *Poſt haec Papiam viſitans vrbem, ab Archiantiſtite hoc, & a primis illius regionis ſuſceptus, cum admirabili laude ad eccleſiam ducitur, & communi electione ſublimatus, in ſolium regale collocatur.*

4) ADELBOLD. cap. 37. *Quidam etiam intererant inſtigatores, qui per propriam conſcientiam turbidi, ſub Harduino malebant per illicitas rapinas vagari, quam ſub Heinrico fraeno iuſtitiae ac legis adſtringi.* Et paulo poſt: *Animoſitas enim Langobardorum nimium feruebat, & ex euentu bellico contra Ottonem Ducem adhuc contumaciae vires habebat.*

HENRICVS II.

& vrbs paene ipſa conflagrat. Rex ſedato tumultu, ad Pontem Longum conuentum habuit; [5] receptiſque in fidem qui ex Hetruria ad Comitatum venerant, [6] quanquam Italicae res praeſentiam ipſius omnino diutius requirere viderentur, breui ſe iterum adfore pollicitus, in Sueuiam iter relegit.

XI. Henricus Statum Sueuiae ordinat.

Obierat nuper Dux eius Prouinciae Hermannus. Rex Ducatum filio cognomini, [1] quamvis immaturo annis, dedit, vtque imbecillae aetati ſuccurreret, Tiguri [2] in conuentu Prouincialium omnes ad pacem obſeruandam iureiurando adigit. Tum actis Argentorati, & Moguntiae conuentibus, in Saxoniam feſtinat, vlturus Bolcslai iniurias. Adeſſe copias prope Mersburgum iuſſerat. Inde medio menſe Auguſto, in Bohemos duxit, ſecum habens Iaromirum, quem legitimum illis Principem deſtinabat. Primi Sazienſes ſeſe dedunt, militeſque Polonos, qui in praeſidio erant, ipſi occidunt. Boleslaus, admonitus hoc exemplo, Germanos Pragae minime expectandos eſſe, in Poloniam ſe recepit. † Bohemi [3] Iaromirum,

Iaromirum in Bohemiam reducit.

† Ditm. p. 378.

Q

5) DITM. p. 378. *Sedatis tunc Papiae calamitatibus, Rex ad* PONTEM LONGVM *venit, Longobardorumque reſiduum agmen per manus ſuſcipit, habitoque ibidem cum omnibus eloquio, rebuſque maximis prudenter ordinatis, Mediolanum, ſanctiſſimi praeſulis Ambroſii amore, petiit, moxque ad prata praedicti pontis reuerſus, praeſentem populum, de ſubito eius conquerentem diſceſſu, promiſſa celeri ſuimet reuerſione, ceteriſque conſolationibus multis, placauit. Inſiſtentem vero tunc Pentecoſtes ſolennitatem in loco, qui Grommo,* (forte Crema) *vocatur, celebrat.*

6) IBID. *Inde tum procedens, Thuſcos ſibi obuiantes, in conſortium ſibi firmiter ſeruientium, ſuſcipit.*

§. XI. 1) DITM. p. 378.

2) ADELBOLD. cap. 42. *In loco, qui Turegum dicitur, Rex colloquium tenuit, omneſque pro pace tuenda, pro latrociniis non conſentiendis, a minimo vſque ad maximum, iurare coëgit.*

3) DITM. p. 379. *Craſtina autem die Iaromirus adueniens, populis iura veniamque commiſſi poſcentibus, ante portam dedit, illicoque intromiſſus, priſtinis honoribus magna iucunditate inthronizatur, ac tunc depoſitis vilibus indumentis, precioſioribus ornatur. Huic ibi tum praeſentatur, quidquid vnusquisque militum hoſti fugitiuo, vel occiſo, ſpoliorum abſtulit. Muneribus idem delectatus plurimis ad Wiſigradi introducitur, ibidemque in dominum exclamatur.*

HENRICVS II.

mirum, praemiſſum a Rege, pacti prius admiſſorum obliuionem, cupide recipiunt, & in arce Wiſirada, ſolenni ceremonia inaugurant. Rex Pragam mox ſuperueniens, ſummiſque a Duce, & Thieddago Epiſcopo, exceptus honoribus, acta confirmat.[4] Ibi ſecutos caſtra ſua Bauaros dimiſit. Ipſe, comitante Iaromiro, per Milcienos remeans, caput regionis, Budiſſinam,[5] in qua praeſidium erat Boleslai, ad deditionem compulit. †

Budiſſinam vrbem recipit.

† Dit. p. 380.

XII.

Synodus Tremoniae.

Anno MV. Rex, cum Friſios adire pararet, Tremoniae[1] vna cum Regina, Synodo interfuit, in qua nonnulla de diſciplina Eccleſiaſtica ſtatuta ſunt. Frequentes olim, & ſub Henrico praecipue, vt erat obſeruantiſſimus religionum, eiuſmodi conuentus fuerunt, ſiue ſacrorum ratio poſceret, ſiue cauſas Epiſcoporum iudicio dirimere opus eſſet. Idque ad Rempublicam non minus quam ad Eccleſiam vtile fuit. Late nomen diffuderant Friſii.[2] Sed perpetuum fere cum Comitibus Hollandiae,* bellum habebant, dum hi proferendis finibus, illi libertati tuendae intenti ſunt. Comitum Hollandiae ortum ad Theodericum aliquem, Gerolfi, qui Imperatorum Caroli Craſſi, & Arnulphi beneficiis claruit, filium,[3] refe-

Origo Comitum Hollandiae.

4) DITM. ibid. *Hic tandem aduenions ab Antiſtite Thieddago, & a Duce Iaromiro, cum immenſo totiuſque populi tripudio ſuſcipitur, & ad eccleſiam S. Georgii deducitur. Cunctis mox dignitatibus a Rege honoratur Iaromirus paternis, conuocatis indigenis coram omnibus.*

5) DITM. p. 380. *Iubente per nuntium ſuimet Bolizlauo, Regiae poteſtati vrbs, ſaluis defenſoribus traditur, praeſidioque nouo munitur.*

§. XII. 1) Vid. Decretum Synodi Tremonienſis ap. DITM. p. 380.

2) De Friſiorum ſitu vid. Geſchichte der Teutſchen, P. II. Lib. X. 21.

* Hollandia, quaſi Hellandia, ager ad *Helium*, quod Vahalis cognomen fuit. ALTING. T. II. p. 94.

3) Diploma, quo Comitatus Hollandiae Theoderico I. datus perhibetur, explicatur in Obſeruat. Miſcell. Vol. IV. Tom. II. p. 265. oſtenditurque, illud nec Carolo Caluo, nec Craſſo tribui poſſe. Sed referendum eſſe ad Carolum Simplicem.

referunt. Theodericus II. amplificatam liberalitate Ottonis III. haereditatem in filium Arnulphum tranſmiſit.[4] Is circa haec tempora in bello aduerſus Friſios occubuerat, relicto puero, Theoderico III. Vidua Luitgardis, (erat haec ſoror Cunegundae Reginae,) acta dolore occiſi mariti, vlciſcendaeque mortis cupidine, tum & filio metuens, auxilium Regis aduerſus auitum hoſtem implorauerat. Ille iam claſſe inuectus in Friſios, aequa conditione pacem inter eos, & Luitgardin compoſuit.[5]

HENRICVS II.

Henrici ad Friſios iter.

XIII.

Expeditio aduerſus Boleslaum.

Reuertentem expectabat miles, quem adeſſe ad XVII. Kal. Sept. aduerſus Boleslaum iuſſerat. Ad Dobralugum, (quod eſt oppidum in Luſatia inferiori) Henricus Bauarorum, & Iaromirus Bohemorum Duces, cum copiis ſuis ſuperuenerunt. Leuibus prope Spream velitationibus certatum eſt.[1] Vbi ad Viadrum pergit, Slaui Leutici ſeſe adiungunt, valida gens, & ipſi quondam obnoxii Germanico Imperio, ſed tum liberi,[2] & foederati Saxonum. Deforme ſpectaculum Germanis, adiuncta ſignis ſuis Slavorum ſimulacra, praebuere;[3] quae ſeruari in celebri tem-

4) Obſcura eſt priorum Hollandiae Comitum ſucceſſio. In GVNDLING. P. XXXIV. pag. 385. proponitur noua coniectura, ad eam illuſtrandam. Scilicet hunc Theodericum II. fuiſſe filium Viemanni Comitis, ex Luitgardi, Theoderici I. filia: eundem, quem ſub Ottone II. & III. Marchiae Saxoniae ſeptentrionali praefectum vidimus. Ab eo titulum Comitis Caſtri Gandauenſis illatum Hollandiae. Sed haec in medio relinquimus.

5) DITM. p. 380. *Freſones Rex nauali exercitu adiens, ab incepta contumelia deſiſtere, & magnum zelum Luitgardae, ſororis Reginae, placare coëgit.*

§. XIII. 1) DITM. p. 381. *Inde prouinciam Nice vocatam itinere attingentes, iuxta Sprevvam fluuium caſtra metatus eſt.*

2) DITM. p. 382. *Hi milites quondam ſerui, noſtriſque iniquitatibus tunc liberi, tali comitatu ad regem auxiliandum proficiſcuntur.* Ipſe paulo ante Henricus libertatem conceſſerat. DITM. p. 372. *Nuncios quoque Redariorum, & Luiticiorum, miſericorditer ſuſcepit, hactenusque rebelles munerum dulcedine, promiſſorumque iucunditate ſedauit, & de inimicis familiariſſimos effecit.*

3) DITM. p. 381. *Poſthaec Luitizi noſtris pridie, quam ad Oderam fluuium venirent, ſociantur: Deos ſuimet praecedentes ſubſecuti.* De his illorum vexillis iterum DITMAR. p. 416.

HENRICVS II. † v. not. in f.

templo, in oppido Rhetariorum, ſolita, depromere inde, quoties populus ad bellum proficiſceretur, mos erat. † Sed iuſtum bellum gerenti etiam paganorum auxiliis vti fas erat. Boleslaus Croſnam inſederat, prohibiturus Regem fluuio: Is autem vado reperto, improuiſus adeſt; inſtatque hoſti, non ſuſtinenti praelio congredi. Meſeriziae, quo in loco inclitum monaſterium erat, a Micislao conditum, die feſto S. Mauritii ſubſtitit. Inde Poſnaniam pertendens, iam caſtra habebat duobus ab Vrbe milliaribus: cum Legati Boleslai ceſſari ab armis petunt. Miſſus rogatu illorum in vrbem Tageno Archiepiſcopus, pacem conſtituit,[4] vt Polono neceſſariam, ſic & Germanis, (namque multa propter itinerum, & commeatus difficultatem, perpeſſus erat exercitus,[5]) iucundam. * Rex in Saxoniam reuerſus, firmando ad Albim limiti operam dedit; Slauoſque prope Wirbenam [6] redegit in ordinem, & caſtrum Arnaburgum [7] reſtituit.

Pax Poſnaniae.

XIV. Lotharingica. † 1006.

Sequente anno † motus in Lotharingia inferiori auocarunt Henricum. Eam prouinciam, mortuo Ottone, Caroli, quem ſupra memorauimus, filio, regendam dederat Godfrido, e Comitibus Ardennae.[1] Male hoc habuit

4) DITM. p. 382. *Interim per fidos intercesſores, Regis gratiam Bolizlaus petiit, & exaudiri mox promeruit. Tagmo Archiepiſcopus cum aliis familiaribus Regis, ad ciuitatem praedictam, a Bolizlao rogatus, venit, & cum iuramentis ac commendationibus condignis, firma pacis foedera apud eundem pepigit.*

5) DITM. p. 382. *Laeti tunc reuertuntur noſtri, quia itineris longitudine, & nimia fame, cum intermixta belli aſperitate magnum ſufferebant laborem.*

* Conditiones pacis non recenſent veteres Hiſtorici: Coniectura tamen ex rerum ſequentium ſerie erui poſſunt. Probabile eſt, promiſiſſe Boleslaum militem ſe Regis fore; abſtinere Bohemia; renunciare in Luſizios, ac Budiſſinam vrbem.

6) DITM. p. 382. Werbena, caſtrum in vetere Marchia.

7) Arnaburgum itidem Caſtrum ad Albim. Id Henricus poſtea Eccleſiae Magdeburgenſi donauit.

§. XIV. 1) SIGEB. GEMBL. ad A. 1005. *Mortuo Ottone Duce, Ducatus Lotharingiae datur Comiti Godefrido, filio Godefridi Ardenenſis.*

buit Lambertum, Louanii Comitem, qui ſororem Ottonis in matrimonio habebat, Comitemque Hannoniae, fratris ſui filium. Illi diſcordiae ſe ingerens Balduinus Barbatus, Flandriae Comes, adiutore Lamberto, Valentianam vrbem, in limite Regni ad Scaldin ſitam, Arnulpho Comiti * adimit. Henricus ad obſidendam vrbem proficiſcitur: [2] Sed quod Robertus, Franciae Occidentalis Rex, vna cum Richardo, Normannorum Duce, auxilio veniebat Balduino, clienti ſuo, obſidionem ſoluere cogitur. † Anno autem ſequente, † Notgeri inter alios **Epiſcopi Leodienſis, copiis adiutus, vltra Scaldin ducit, prouinciamque Flandri populatus, tantum illi terroris incuſſit, vt pacem peteret, Valentianamque ſibi permitteret. [3] Tum vero vt Comitem praepotentem ad pacem lubentius colendam beneficio deuinciret, atque a Comitum Louanii & Montium amicitia ſeiungeret, Valentianam ei in feudum dedit, mox & Walachriam [4] adiecit, praecipuam

Henricus aduerſus Balduinum Comitem mouet.

† v. not. in f.

† A. 1007.

Valentianam illi in feudum dat,

itemque Walachriam inſulam.

* Arnulphus hic Comes Valentianae, & Cameraci vocatur a Scriptoribus Rerum Belgicarum.

2) DITMAR. p. 383. SIGEB. GEMBL. ad A. 1006. *Caſtrum Valentianas ſitum in Marchia Franciae & Lotharingiae, quod Balduinus, Comes Flandrenſium, inuaſerat, Imperator Henricus obſidet, concurrentibus ad auxilium eius Roberto, Rege Francorum, & Richardo, Comite Normannorum.*

** Flandrico bello interfuit etiam cum militibus ſuis, Bernardus, Epiſcopus Hildesheimenſis, prout commemoratur in Vit. Ei. cap. 37. *Occidentalibus Gallis Rempublicam infeſtantibus, idem Imperator expeditionem aduerſus illos mouit: cuius arma beatus Pontifex - - - cum immenſa manu militum ſecutus, vigilantiſſimo obſequio militauit.*

3) DITMAR. l. c. SIGEB. GEMBL. ad A. 1007. *Henricus Imperator, quia de obſidione Valentianenſi inefficax redierat, contra Balduinum profectus, caſtrum Gandauum inuadit, & depopulata terra, aliquot Primores Flandrenſium capit. Vnde Balduinus perterritus Imperatori ſatisfacit, Valentianas reddit, datiſque obſidibus,* CVM SACRAMENTO FIDELITATIS MANVS EI DEDIT.

4) DITM. p. 383. *Tandem Balduinus magna neceſſitate coactus, humili ſupplicatione veniam impetrat, & non longe poſt* PER MANVS REGIS *Walecorn, & praenominatam vrbem in beneficium adipiſcitur.* SIGEBERT. l. c. *Poſtea imperator, ſeditione ſuorum coactus, Valentianas Balduino Comiti beneficiauit, vt ſibi contra motus ſuorum auxi-*

HENRICVS II.

inter insulas Comitatus Zelandiae, in qua caput gentis Middelburgum.

XV.

Concilium Francofurtanum.

† A. 1007.

Fundatio Episcopatus Bambergae.

Ex Belgica Rex Francofurtum ad Moenum petit, in quem locum omnium Episcoporum Germaniae Concilium[1] indictum erat. † In animo habebat Bambergae Episcopatum instituere; consentiente Cunegunda Regina, cui antea illud oppidum cum vicino agro in dotalitium assignaverat. Cum autem Episcopus Wirceburgensis, in cuius dioecesi ea regio erat, consentire nollet, vniuersae Ecclesiae Germanicae auctoritate vtendum sibi existimauit. Praesedit Synodo Willegisus. Rex ipse consilium Patribus aperit, additque paratum se aequa conditione transigere cum Wirceburgensi. Hic ad Synodum ipse non venerat, sed Capellanum miserat, impediturum, ne quid, absente se, decerneret. Primus sententiam rogatus Tageno, Archiepiscopus Magdeburgi, respondit, contradictionem Praesulis minime morari debere pietatem Regis: quem secutis reliquis omnibus, statim signatae sunt tabulae fundationis, & Eberhardus, Capellanus Regis, a Villegiso consecratus est.[2] Paulo post & Wirceburgensis, praediis aliquot a Rege acceptis, acquieuit. Basilica ipsa Bambergensis A. MXII. die natali Regis, † a Ioanne, Patriarcha Aqui-

† II. Non. Maii.

auxilio esset, postea ei etiam Walachras addidit, quanquam DITMARVS & SIGEBERTVS Walacriam tantum nominent. Scriptores Rerum Belgicarum omnes Selandiae Insulas datas tum Balduino intelligunt. De tempore non conuenit. DITMARVS tamen ad A. 1007. refert.

§. XV. 1) DITM. p. 383. *Pacificatis partibus bis, generale Concilium in Francfort a Rege ponitur, & hoc ab omnibus Cisalpinis Antistitibus aditur.*

2) DITM. p. 383. *Tandem Archiantistite Willigiso, quid* DE HIS *faciendum foret, iudicio perscrutanti, Tacmo* PRIMVS RESPONDIT, *haec tunc secundum Regis eloquium legaliter fieri posse: Cunctis praesentibus eius sermonem tunc affirmantibus, & subscribentibus, Eberhardo tunc Cancellario, cura Pastoralis a Rege committitur, & hic a praefato Archipraesule, eodem die consecratur.*

Aquileienfi, praefentibus vltra XXX. Epifcopis, dedicata eft. † Neque Henricus omifit quicquam, quod ad eam Ecclefiam, cui nunc primus eft inter Epifcopatus Germaniae locus, tuendam & amplificandam conduceret. †

HENRICVS II.
† Ditm. p. 390.
† v. not. in f.

XVI.

Boleslaus bellum reparat.

Cum autem vbique egregie confuluiffe tranquillitati publicae videretur, praeter expectationem duplex bellum exoritur. Monebat Regem Iaromirus, Bohemiae Dux, hoftilia parare Boleslaum, idque & Leutici, & Lubbenenfes * fignificant.[1] Miffus eft Hermannus Comes,[2] gener ipfius, qui iuratae nuper fidei admoneret, vim & arma, ni quiefceret, denunciaret. Ille autem, vltro bellum occupare paratus, ad Albim vfque excurrit, pagumque Morezinum, propinquum Magdeburgo, populatus, incolas vrbis Serueftae[3] captiuos abducit. † Nequicquam Tageno Archiepifcopus, (namque Rex ipfe aberat,) euocatis ad arma nobilibus aliquot, infequitur. Illi non vltra Iuterbocam, (in confinio Saxonum, Slauorumque oppidum) peruenere. Neque enim comparatus ad maioris aleae expeditionem exercitus erat. Itaque nemine refiftente, omnem fere regionem, quam Niffus amnis fecat, iterum in poteftatem redigit: Budiffinam etiam, quam, nuper ab Henrico Rege recuperatam, idem Hermannus Comes praefidio tenebat, obfidet.[4] Ille quidem Magdeburgum

† Ditm. p. 384.

In Lufatos fe diffundit.

Budiffinam capit.

§. XVI. * Lubbena, (*Lübben*) vrbs ad Spream, caput hodie Lufatiae inferioris.

1) DITM. p. 384. *Regi Pafcha Ratisbonae celebranti, de Luiticis, & ab his, qui a Ciuitate magna, Luibni dicta, miffi fuerant, & a Iaromiro Duce, Boleslaum, multa fibi contraria moliri cupientem, afferebant, feque ad haec perficienda, verbis ac pecunia ab eodem induci, affirmabant.*

2) Huius quoque Hermanni clarum inter Principes Saxoniae orientalis nomen. Filius fuit Eccardi I. marchionis: filiamque Boleslai in matrimonio habuit. Obtinuit Marchiam Mifniae A. 1010.

3) Ditionis nunc Anhaltinae.

4) DITM. l. c. *Boleslaus autem Lu-*

HENRICVS II.

gum properat, vt auxilium a Saxonibus peteret. Verum vbi ſpes omnis deficit, milites liberum abitum pacti, vrbem Polono dedunt. †

† Ibid.

XVII.

De Epiſcopatu Treuirenſi contentio.

Regem tum vltra Rhenum detinebant infauſtae, & plus quam ciuiles diſcordiae. Treuirenſes, poſt obitum Ludolphi Archiepiſcopi, Adalberonem, Reginae fratrem elegerant, non tam ob virtutem, quam generis, & neceſſitudinis commendationem, nec ea aetate, quam Canones in Epiſcopo requirunt. [1] Rex autem, pro ſuo in ſacrorum diſciplinam ſtudio, quamquam vxor & affines pro fratre intercedebant, improbata illa electione, Megingaudum, Moguntinae Eccleſiae Praepoſitum, [2] ſubſtituit. Tum Theodericus, Epiſcopus Metenſis, itidem frater Reginae, atque Adalbero ipſe, ad vim ſe comparare : Treuirenſes, liberae electionis fauorem factioni ſuae iam praetexentes, palatium, quod in ea vrbe antiquiſſimum eſt, communire. [3] Henricus ad Vrbem Treuirorum venit, & Megingaudum, probata in Synodo [4] cauſa, diriſque denunciatis Adalberoni, conſecrari iubet. Peruicaciſſimus quiſque in palatium confugerat : quod Rex cum arcta obſidione premeret, Henricus, Bauariae Dux,

Rex in Treuiros proficiſcitur.

Luzici, Zara, & Selpuli denuo occupat, & non longe poſt Budiſſin ciuitatem, praeſidio Hermanni Comitis munitam, ſocer infidus poſſedit. Pagus *Luzici* Luſatiam hodiernam inferiorem notat. *Zara* eſt Sorauia. Pagus *Selpuli* itidem in confinio Luſatiae, & Sileſiae fuit : ſed verus eius ſitus nondum inueſtigari potuit.

§. XVII. 1) DITM. p. 384. *Mortuo poſt Paſcha Treuirenſis Eccleſiae Archiepiſcopo, venerabili Luitdolpho, Capellanus eiusdem, Adalbero, frater Reginae, & immaturus iuuenis, plus timore Regis, quam amore religionis communiter eligitur.*

2) ANNAL. HILDESH. ad h. a. vocant *Primiſcrinium Regis.*

3) DITM. p. 384. PALAS *a Treuirenſibus contra Regem firmatur.* De Palatio hoc Treuirenſi BROWER. Rer. Treu. Lib. X. n. 86. & ſequ.

4) Extat diploma Henrici h. a. prid. Idus Sept. Treuiris datum Baldrico, Epiſcopo Leodienſi, ſuper banno beſtiarum. In eo memorantur Villegiſus Moguntinus, & Heribertus Colonienſis. Eos probabile eſt adfuiſſe tum Regi.

Dux, qui nondum aperte in fratrum caufam conceffe- **HENRICVS II.**
rat, fubdole perfuadet, vt veniam precatos, et pollicitos imperata facere, incolumes abire fineret. [5] Verum regreffo Caefare, a fide data ftatim defcifcunt. Neque Megingaudus vrbe Treuirorum vnquam potitus eft, fed ad Confluentes fe, quamdiu vixit, continuit. Ita locus ifte ex Villa Regali, fedes Archiepifcoporum Trevirenfium factus eft. Rex, cognito affinis dolo, Bauariae Ducatu † eum mulctauit: [6] Bauarosque in fua verba iurare coëgit. Bellum itaque atrox, et diuturnum exarfit, quo omnis ferme fuperior Lotharingia conflagrauit.

Henrico Lucelburgio Bauariam adimit.
† A. 1009.

XVIII.

Antequam vero in Boleslaum arma pararet, Saxoniam Orientalem pacare neceffe fuit. † Namque Gunzelinus, Marchio Mifniae, faeuum bellum aduerfus fratris filios, Hermannum & Eccardum exercebat. [1] Praeterea

Hermannus Marchio Mifniae.
† A. 1010.

R terea

5) DITM. p. 384. *Tali praefumtione Rex commotus, illo cum exercitu properat, Archiantiftitem inthronizatum ibidem confecrari, Athelberonemque excommunicari praecipiens, obfidione etiam continua eos, qui Palas turbarant, in tantum conftrinxit, vt fame et affidua impugnatione defatigati, aut interius perire, aut in poteftatem Regis inuiti deberent exterius venire. Quod ne fieret, Henricus Dux, improuifa calliditate impediens, exire illos illaefos apud Regem obtinuit.*

6) DITM. p. 386. *Interea Henricus Dux rebellionis gratia Bauariam clanculum intrare praefumens, interclufum fibi aditum a prouida Regis folertia, vt primo perfenfit, mox fugiendo reuertitur. Quocirca optimi Bauariorum, Ratisbonae, Regali edicto conueniunt, & quamuis Duci fuimet ad tres annos, fe alterum non eligere, omnes fponte iurarent, tamen ob hoc a Rege iurgati, blanditiis & minis ab eius famulatu & auxilio deducuntur, fibique fpecialiter affumuntur.*

§. XVIII. 1) Bellum hoc ita defcribit DITMARVS p. 389. *Interea Hermannus Comes, & Guncelinus Marchio inuicem certantes, inufitato in his regionibus more, conflixere. Namque Guncelinus Strelam ciuitatem, a militibus Hermanni cuftoditam, expugnare tentans, & nil proficiens, Rocblitz vrbem, iuxta Mildam fluuium pofitam, & non bene prouifam, incendio confumere praecepit.* Et paulo poft: *Hermannus & Ekkihardus confratres, caftellum quoddam, iuxta Salam fitum, quod Guncelinus vnice fibi dilectum muris & praefidio firmauit, bonisque innumerabilibus impleuit, ex improuifo manu valida*

HENRICVS II.

terea cum Boleslao aduerſus Regem conſilia ſociare arguebatur. Itaque Mersburgi diſcuſſa in Principum conſeſſu cauſa damnatus eſt.[2] Ademtam Patruo Marchiam Hermannus accepit.[3] Haec dum fiunt, parum abfuit, quin Boleslaus, Vrbe Miſna per fraudem potitus eſſet.[4]

Expeditio aduerſus Boleslaum.

Anno MXI. Rex in Polonos ducere volens, poſt Paſcha ad Albim prope Belgeram copias contrahit. Ipſum quidem, & Tagenonem, Archiepiſcopum Magdeburgenſem, aduerſa valetudo in Luſatis retinuit.[5] Bohemus, nec non Epiſcopi Paderbornae, & Halberſtadii, cum Hermanno, & Gerone Marchionibus, in Sileſiam pergunt.[6]

Ille Glogouiae ſe continet.

Sed Boleslao intra muros Glogouiae ſe continente, neque praelii poteſtatem faciente, nihil vltra populationes actum.

† A. 1012.

Initio ſequentis anni † Rex Mersburgi pacem iterum domeſticam ſancit, iurantque omnes, in quinque annos neminem alteri vim illaturum.* Hoc iam tum adverſus priuata arma remedium.

Vrbs Lebuſia inſtauratur.

Muniendorum quoque finium curam habens, vrbem Lebuſiam ad Viadrum, quae ab Henrici I. tempore deſerta iacuerat, inſtaurari

lida circumdantes, expugnant, & diuiſa omni congerie, radicitus illud deiiciunt, ac incendio conſumunt.

2) ID. l. c.

3) DITM. p. 389. *Proxima vero meſſe, interuentu Reginae, & inſtinctu cari Tagmonis, Hermanno Comiti Marchiam dedit, ex conſilio & laude Principum eorundem.* Paulo poſt addit: *Hermannus Comes per Regalem nuntium introducitur.*

4) DITM. p. 389. *Interea praedictam vrbem* (ſc. Miſnam) *Bruno Comes, frater Guncelini,* ORDINE VICIS SVAE *cuſtodiebat, & ecce priore die, quam Hermannus aduentaret, magna Polonorum caterua, in primo diei crepuſculo Albim tranſgreſſa, vſque ad portam ciuitatis, ſibi promiſſae, ſilenter veniebat. Sed cum, poſitis ibidem militibus, facilis ei non pateret introitus, reuerſa triſtis, proh dolor! illaeſa, & nemini nocens.*

5) DITM. p. 389. *Inde ad Luzici pagum, in cuius fronte vrbs quae Iam Iarina ſtat, a Gerone dicta Marchione, qui magnus fuit, & ſic nuncupatur &c.*

6) DITM. p. 390. *Silenſi & Diediſi vaſtarunt.* Pagum *Silenſi* de Sileſia vulgo accipiunt, congruitque ſitus locorum, per quae tum graſſatus eſt Saxonicus miles.

* DITMAR. p. 390. *Firmata ad quinque annos mutua pace.*

HENRICVS II.

ſtaurari praecipit. [7] Tum exercitum ad IX. Kal. Aug. praeſto eſſe iubet. Ipſe autem belli eius cura Walthero, Archiepiſcopo Magdeburgenſi, delegata, Saxoniamque omnem commendans Reginae, in Lotharingiam, ad Lucemburgios fratres in ordinem redigendos, abit, lectum e Saxonibus Slauiſque militem ducens.† Variis ibi caſibus res acta eſt. Henricus agrum Metenſem populatur, Slauo milite etiam vltra fas belli graſſante. [8] Lucemburgii viciſſim in Proceres, qui a Conuentu Moguntinenſi domum cum ſuis repetebant, ex inſidiis impetu facto, cruentam ſtragem edunt. Heimo, Epiſcopus Verdunenſis, aegre fuga euadit, Theodericus, Dux Lotharingiae Superioris, multis acceptis vulneribus, capitur. [9] Denique Rex iudiciorum vim armis adiungens, autumno eius anni, Synodum ad Confluentes habuit. In ea Metenſi Epiſcopo interdictum, ne rem diuinam faceret, donec crimina, quorum accuſabatur, diluiſſet. [10]

Rex in Lotharingia bellum gerit.

† Ditm. p. 392.

 Interea

7) DITM. p. 390. inſtaurationem vrbis Lebuſiae ita narrat: *Ad hanc venimus in fine menſis Ianuarii, & ibidem Sanctae Domini Genetricis purificationem veneratione iuſta peragentes, in XIV. diebus opus impoſitum compleuimus, & praeſidio vrbem munientes remeauimus. Iuxta hanc in parte aquilonari ſtat ciuitas, quam a praedicta nil niſi vna vallis diuidit, & XII. portae ſunt. Hanc cum diligenter luſtrarem, opus Iulii Caeſaris, & magnam Romanorum ſtructuram, Lucano admonente, tractaui. Minor autem, quam tunc perfecimus, ab Henrico I. Rege, vſque ad hoc tempus, vacua erat.* Quod DITMARVS veterem hanc vrbem a Iulio Caeſare conditam credit, & Lucanum auctorem iactat, illi aeuo facile condonamus.

8) DITM. p. 388.

9) ID. l. c. Sed obſcurior eius narratio ſuppleri poteſt ex CHRONICO QVEDLINB. ad A. 1011. *Rex Tribuirium venit, & noua caede ſuorum merito gemit: inter quos, quaſi pacis gratia, irruentibus aduerſariis Regis, capto Thiedrico Duce, patruele ſuo, alii gladio interiere, alii vero vix poterant euadere.* Illuſtrationi quoque ſeruiet HERMANNVS CONTR. ad A. 1011. *Theodericus Dux partis Lotharingorum, ſub ipſa pene praeſentia Regis, ab Henrico, Boioariae dudum Duce, & quibuſdam Lotharingis captus & abductus eſt; quo tamen poſtea relaxato, Henricus ipſe gratiam Regis, Ducatumque recepit.*

10) DITM. p. 395. & 396. Sed hic quoque ad ſubſidium vocandus CHRO-NO-

HENRICVS II.

XIX.

Saxones aduersus Boleslaum se parant.

† Ditm. p. 394.

Pax cum Polonis.

Boleslaus Mersburgum venit.

Interea Saxones ad Belgeram castra posuerant, non tam inferendo bello quam arcendo intenti. [1] Boleslaus quoque pacem se cupere simulat: mox vbi Archiepiscopum fato functum, exercitum autem ob effusas Albis aquas progredi non posse comperit, Lebusiam, nuper instauratam, occupat, inceditque. † Ea tamen vrbs reaedificata postmodum, sub Polonis Principibus, & Episcopali etiam honore proveсta fuit. Hyeme demum, cum Rex in Saxoniam reuertisset, de pace conuenit. [2] Itaque Boleslaus primo Micislaum filium, Magdeburgum ad Regem praemittit, isque pro more illius aeui, in militiam suscipitur. [3] Deinde ipse, vna cum coniuge, Mersburgum, vbi Pentecosten celebrabat Henricus, venit, ac regionem, de qua hactenus certatum armis, in beneficium accipit, testandique officii causa, Rege die festo publice ad templum procedente, armigeri vice fungitur. Pollicitus etiam adesse ad Italicum procinctum, interea acceptis ab Hen-

NOGRAPHVS SAXO, ad A. 1012. rem ordine recensens: *Henricus Rex post festum Sancti Martini Confluentiam veniens, magnam Synodum habuit, Theodericum Metensem Episcopum, caeterosque sibi rebelles causa damnandi, si nollent conuerti, & alia perplura acturus. Quod Regis decretum illi aliquantulum timentes, legatos pacis causa miserunt, veniam precantes; sed Rex recenti vulnere sancius, per omnia voluntati eorum satis non fecit, consilio tamen fidelium suorum Magontiae se videndi licentiam dedit. Quo quidam ex illis venire neglexerunt, alii vero Regio Imperio, vt decuit, paruerunt, & inde non integrae pacis gaudia reportantes, sed firmandae adhuc suspendia expectantes, reuersi sunt in sua.* Iisdem fere verbis haec narrantur in CHRON. QVEDLINB. ad h. a.

§. XIX. 1) DITM. p. 392. *Tum visum Principibus non esse bonum, perfici iter nostrum, sed optimis Marchiam firmari praesidiis.*

2) DITM. p. 397. *Rex de Alstidi discedens, vbi Epiphaniam Domini celebranit, & Boleslai nuncios, pacem poscentes, & confirmationem cum Misecone, eiusdem filio, fieri promittentes, audiuit, ad Merseburg venit.*

3) DITM. p. 397. *Misico, Bolizlai filius, cum magnis veniens muneribus,* REGIS MILES *efficitur, & fidem cum sacramento firmat. Dehinc cum honore magno remittitur, &, vt iterum veniret, delectatur.* Iuratae tum fidei Micislaus postea admonitus est, cum aduersus

HENRICVS II.

Henrico auxiliis, aduersus Russos proficiscitur.[4] Huic conuentui Othelricus quoque, Bohemiae Dux, interfuit: qui anno praeterito, fratrem Iaromirum expulerat. Huic quidem perfugium in Saxoniam. Sed cum causa coram Rege Magdeburgi ageretur, sensit fallaces Principalis fortunae vices. Quippe multorum, quae, cum regnaret, sibi permiserat, nunc reus factus, damnatur Iudicio Principum, & Athelboldo, Episcopo Vltraiectino, in custodiam traditur.[5] Othelrico ipsa possessio, vt facile Rex Principatum confirmaret, profuit.[6]

Iaromiri, Bohemiae Ducis, exilium.

Othelricus Dux.

XX.

Italica.

Iam demum ad Romanam expeditionem se parabat. Saepe illum Pontifices ad capessendum Imperii titulum inuitaverant,[1] & clientes, quos Harduinus subinde vexabat, opem implorabant. Sed turbae Germanicae obsti-

sus Imperatorem in acie staret. Vid. DITM. p. 404.

4) DITM, p. 397. *In cuius* (Festi Pentecostes) *vigilia Bolizlaus, cum securitate obsidum, apud se relictorum, venit, & optime suscipitur. In die sancto* MANIBVS APPLICATIS MILES EFFICITVR, *& post sacramento, Regi, ad Ecclesiam ornato incedenti, armiger habetur. In secunda feria Regem, magnis muneribus a se, & a consectali sua oblatis, placauit, deinde Regia largitate, bis meliora & multo maiora,* CVM BENEFICIO DIV DESIDERATO, *suscepit, & obsides suos cum honore & laetitia remisit. Post haec vero Russiam, nostris ad hoc auxiliantibus, petiit.* Addi meretur CHRONICON QVEDLINBVRGENSE ad h. a. *Idus Maii, Luna I. feria VI. Henricus in Sancto Pentecostes, maxima confluente caterna, Meresburg se colligens, obuium habuit Bolizlauonem, cum magno apparatu diuersorum munerum, pacis gratia sua omnia, seque dedentem. Quem benigne suscipiens, paucos dies secum morantem, vt par erat Regiae Dignitati,* CLARO HONORE ADAVCTVM, *non tamen sine sui regni detrimento, permisit remeare.* Probabile est, Boleslao tum Lusatos, & Milcienos in feudum datos, quemadmodum iam initio Regni, in conuentu Mersburgensi, Henricus promiserat.

5) DITMARVS dolet casum Iaromiri, p. 395.

6) IBID. *Posthac Othelricus, frater eius, ad Mersebargum a Rege vocatus venit, ac regnum, quod sibi iniuste prius vsurpauit, gratuito munere suscepit.* Id vero in eodem hoc Conuentu Mersburgensi factum ex Chronico Quedlinburgensi constat.

§. XX. 1) DITM. p. 399. *Ab omnibus sacerdotibus summis aduentus Regis admodum desideratur, & diuersorum reluctatione hostium diu tardatur.*

HENRICVS II.

obſtiterant. Praeterea in Italia Iohannes, Patricius, Creſcentii filius, qui Vrbis dominatum tenebat, quamquam omnibus in ſpeciem officiis coleret Regem, difficultates tamen, quas poterat, obiiciebat Romano itineri. [2] Nunc vero maxime vrgebat Benedictus VIII. Papa. Is a contraria factione Vrbe pulſus, ad Regem in Saxoniam confugerat, orans atque obteſtans, vt omni re poſthabita, maturaret Italicum iter. [3] Itaque A. MXIII. exeunte, per Alemannos Italiam ingreſſus, natalitia Ticini celebrauit.

Rex in Italiam proficiſcitur.

Harduinus iterum intra munitiones ſuas ſe continuit: obtulitque adeo per legatos, ponere titulum Regis, ſi vel vnus Comitatus ſibi daretur. Suadebant nonnulli tranſigere cum hoſte tam modica conditione. Sed vicit illorum conſilium, qui negabant, redimi pretio debere, quod mox neceſſitas imperatura eſſet. Neque tamen reſpondit euentus. [4] Romae communi gratulatione exceptum Benedictus Papa, vna cum Regina, in Baſilica Vaticana † inaugurauit, patrataque re diuina, in Palatio Lateranenſi

Romae Imperator coronatur.

† d. 16. Febr.

2) De hoc Iohanne Patricio DITMAR. p. 417. *Is Apoſtolicae Sedis deſtructor, muneribus ſuis, & promiſſionibus phaleratis, Regem a Domino conſtitutum palam ſaepe honorificauit, ſed Imperatoriae dignitatis faſtigium hunc adſcendere multum timuit, omnimodiſque id prohibere clam tentauit.*

3) Huius rei memoriam vnice ſeruauit DITMARVS p. 399. *Namque Benedictus Gregorio cuidam in electione praeualuit. Ob hoc iſte ad natiuitatem Dominicam ad Regem in Palithi venit cum omni apparatu Apoſtolico, expulſionem ſuam omnibus lamentando innoteſcens. Huius crucem Rex in ſuam ſuſcepit cuſtodiam, & a caeteris abſtinere praecepit, promittens ſibi, cum ipſe illuc veniret, haec* SECVNDVM MOREM ROMANVM *diligenter finiri.* Sed mendoſus videtur hic locus: et plane in dubium vocatur a P. SOLLERIO in Comm. ad Vit. S. Henrici n. 127. p. 738.

4) DITM. p. 398. *Hardwigus, a Longobardis falſo Rex appellatus, aduentum magni Regis, & potentiam exercitus doluit, & quia ſuis viribus huic ad nocendum diffidit, in caſtelli munitionem ſe protinus recepit, hoc ſolum ingemiſcens, quod Rex ad maiorem tunc vocatus acceſſit honorem. Poſt longam animi exaeſtuantis deliberationem, legatos ad Regem miſit, qui comitatum quemdam ſibi dari peterent, & coronam ſuimet, cum filiis, ei redditurum veraciter promitterent. Hoc cum conſilio quorumdam*

HENRICVS II.

nensi conuiuio excepit. Coronam, qua antea vti consueuerat, tum ad aram D. Petri dono obtulit. [5] Paucos dies moratus est in Vrbe, diuersis distracta studiis, [6] ideoque facile obnoxia tumultibus. [7] Inter curas constituendae Reipublicae Iurisdictionibus etiam vacauit, atque in Basilica Vaticana, vna cum Pontifice, iudicibusque sedens, lites Romana Lege diremit. [8] Baronius tabulas profert, confirmantis Romanae Ecclesiae Antecessorum donationes, [9] iterumque sancientis, ne Papa electus consecretur, nisi coram legatis Imperatoris: [10] quod vsque ad principatum Henrici IV. vsu obtinuit.

Ex

dam acquiescens facere Rex noluisset, vt in sequentibus enucleabo, ad magnum suis familiaribus prouenire damnum id postea persensit.

5) Ritum coronationis Henrici ita describit DITM. p. 400. *Rex inclitus, a Senatoribus duodecim vallatus, quorum sex rasa barba, alii prolixa mistice incedebant cum baculis, cum dilecta suimet coniuge Cunigunda, ad Ecclesiam S. Petri, Papa expectante venis, & antequam intro duceretur, ab eodem interrogatus, si fidelis vellet Romanae patronus esse & defensor Ecclesiae, sibi autem suisque successoribus per omnia fidelis, deuota professione respondit, & tunc ab eodem inunctionem, & coronam cum contectali sua suscepit. Priorem autem coronam super altare Principis Apostolorum suspendi praecepit. Eodem die Papa eis coenam ad Lateranum fecit copiosam.*

6) CHRON. QVEDLINB. ad A. 1014. *Iuit obuiam tota ciuitas, licet dissono voto, tamen vt par erat, suo Domino dans laudum praeconia.*

7) DITM. p. 400. *In octauo die inter Romanos, & nostrates, magna oritur commotio, in ponte Tiberino, & vtrinque multi corruerunt, nocte eos ad vltimum dirimente.*

8) Ita exercitae Iurisdictionis insigne exemplum seruauit nobis HVGO, Farfensis Abbas, in relatione de imminutione rerum monasterii sui, ap. MABILL. T. IV. Annal. Ordinis S. Benedicti in append. n. XXVII. p. 701. (Romae) *venimus ante praesentiam Imperatoris, & Papae, coram Iudicibus Romanis. - - Tunc ab Imperatore Iudices interrogati, vno ore dixerunt: Episcopus, aut Abbas, qui pertinet Palatio Imperiali, vel Pontificali, nullo modo valet facere scriptum, nisi prius ab ipsis donum acquirat. Deinde dixit Imperator: Domine Papa, date mihi vestros milites, qui cum meis vadant, vt capiant mei monasterii castella. - - Tunc consensu Papae, & cunctorum iudicum consilio, reinuestiuit me Imperator, de - - castellis, cum suis pertinentiis, & commendauit mein manum Papae, in sua fide, vt, si animam suam diligeret, mihi restitueres, quod strenue postmodum compleuit venerabilissimus Papa.* Conf. Placitum ipsum l. c.

9) Ad An. 1014. Conferri meretur PAGIVS in Crit. ad h. a. n. 2. 3.

10) Sed quanquam suspectae sint tabulae apud BARONIVM; rem ipsam tamen ita obtinuisse ex PE-

TRO

HENRICVS II.
XXI.
In reditu Ticini res ordinat.

Ex Vrbe, Rauennam ſe Imperator & Papa receperunt. Ibi Synodus pro more habita eſt. De Epiſcopatu illius ciuitatis Fratri Caeſaris Arnulpho, cum Adalberto aliquo lis erat. Aſſerta nunc Arnulphi cauſa, atque ipſe a Papa conſecratus eſt. Aemulo eius Imperator Aretinam in Hetruria Eccleſiam dedit. [1] Ticini illum Paſchale ſacrum, & cura ſecuritatis regni Italici detinuit. Namque Proceres aliquot, & in iis Albizo Ateſtinus, ad Harduinum defecerant. Illos ſecundum Legem Longobardorum maieſtatis reos iudicauit, & bona in fiſcum redegit. [2]

Epiſcopatum Bobii condit.

Bobii ad Trebiam, quo in loco inclitum monaſterium a S. Columbano quondam conditum, Epiſcopatum inſtituit. [3] Vix autem in Germaniam

TRO DAMIANO conſtat, lib. I. ep. 20. ad Cadaloum, p. 19. *Nimirum cum electio illa per Epiſcoporum Cardinalium fieri debeat principale iudicium, ſecundo loco iure praebeat Clerus aſſenſum, tertio popularis fauor attollat applauſum: ſicque ſuſpendenda eſt cauſa, vſque dum Regiae Celſitudinis conſulatur auctoritas.*

§. XXI. 1) DITM. p. 400. *Arnulphum, fratrem ſuum, quem Rauennati antea praefecit Eccleſiae Caeſar, denuo inthronizatum ab Apoſtolico ibidem conſecrari praecepit.*

2) Tabulas exhibet, ac illuſtrat MVRATORIVS in Antiqu. Ateſt. T. I. p. 108. & ſeq. Initium eſt: *Notum eſſe volumus vniuerſis Sanctae Dei Eccleſiae fidelibus, Vbertum Comitem filium Hildebrandi, Otbertum Marchionem, & filios eius, & Albertum nepotem illius, poſtquam Nos in Regem, & Imperatorem elegerunt, & poſt manus nobis datas, & ſacramenta nobis facta, cum Dei noſtroque inimico, Arduino, Regnum Noſtrum innaſiſſe; rapinas, praedas, deuaſtationes vbique feciſſe; & quod ſine luctu non eſt dicendum, territoria, & pertinentias omnium Eccleſiarum miſerabiliter bonis omnibus exſpoliaſſe.* Et poſt pauca talis fertur ſententia: *Conſilio ergo cum amicis Dei habite, ſcrutata & INVENTA EST LEX LONGOBARDORVM, quae ita iubet: Si quis contra animam Regis cogitauerit, aut conſiliatus fuerit, animae ſuae incurrat periculum, & res illius infiſcentur. Secundum igitur Legem eorum noſtra propria ſunt bona ipſorum, quia manifeſtum eſt, ipſos contra Nos non ſolum cogitaſſe, aut conſiliatos fuiſſe, ſed etiam auſus nefarios, & conatus impuros opere exercuiſſe, & publice bella contra Nos praeparaſſe. Quia ergo Legibus eorum noſtra ſunt bona ipſorum, Eccleſiae Sancti Syri, Epiſcopi Ticinenſis, quam ipſi in ſuis pertinentiis igne, & rapinis vehementer deuaſtauerunt, de praediis eorum partem dare volumus. &c.*

3) DITM. p. 400. *Epiſcopatum* quod

HENRICVS II.

maniam retulerat pedem, cum Harduinus, progressus e latebris, veluti vltimum facturus periculum, mouet arma. Vercellas occupat:[4] mox iterum amittit. Nouariam, Comum, frustra tentat.[5] Sed tandem, infaustae militiae pertaesus, cum praeterea ingrauescens aetas, & valetudo vrgeret, titulum, cuius tuendi iam nulla spes erat, honeste posuit: quodque necessitas imperabat, insuper pietatis & moderationis specie ornauit. Quippe in Fructeria monasterio, quod in agro Taurinatium ipse & vxor Bertha fundauerant,[6] priuatam transigere vitam decreuit, depositisque in altari insignibus Regiis, haud multo post obiit.[7] Pauci, qui in fide Harduini permanserant, ad Imperatorem in Germaniam profecti, impetrata venia, in verba eius iurarunt.[8]

Harduinus in monasterium secedit.

XXII.

Nouum aduersus Boleslaum bellum.

Imperator in Saxoniam reuersus, in conuentu Principum queritur, quod nec Boleslaus, nec Othelricus ad Italicam expeditionem venerant. Bohemo probabilis excusatio fuit, quod domo proficisci, ob gliscentem fra-

S tris

quod erat tertium deuoti operis sui ornamentum, in Bobia ciuitate, vbi Christicolae sancti, & confessores incliti, Columbanus & Attala, corporaliter requiescunt, communi consilio, & licentia Comprouincialium Episcoporum construxit. Plura quidem deHarduino SIGONIVS. Sed ea refellit SAXIVS in notis.

4) DITM. p. 410. *Sedatis tumultibus vniuersis, reuersus est ab Italia, & Hardwigus ob hoc admodum gauisus, Vercellensem inuasit ciuitatem, Leone eiusdem Episcopo vix effugiente. Omnem quoque hanc ciuitatem comprehendens iterum superbire coepit: quem, vt in sequentibus expono, diuina Maiestas, nimis humiliatum se culpabilem cognoscere coëgit.* Plura quidem deHarduino SIGONIVS. Sed ea refellit SAXIVS in notis.

5) ARNVLPH. Lib. I. cap. 14. *Ardoinus Vercellensium vrbem cepit, Nouariam obsedit, Cumas inuasit, multaque demolitus est loca sibi contraria.* Hac occasione Petrus, Episcopus Nouariensis, incommoda illa pertulit, quae commemorat Henricus Imp. in Diplom. ap. BARON. ad An. 1014. n. 11.

6) Fructeria monasterium, hodie *S. Balain*, s. *S. Benin*, haud procul Augusta Taurinorum.

7) Obiit An. 1015. Vid. not. ad SIGON.

8) CHRON. QVEDLINB. ad A. 1015. *In Walbecki diem Palmarum agens, nuntios de Italia sibi in sacramenta constrinxit.*

HENRICVS II.

† v. not. in f.

Imperator cum exercitu Viadrum traiicit.

† Ditm. p. 404.

Micislaus Misnam frustra tentat.

† Ditm. p. 405.

tris Iaromiri factionem, tuto non potuerat. In Boleslaum vltionem armis parare visum est. † Imperator ipse cum exercitu ad Viadrum contendens, * Micislaum prope Crosnam inuenit, aditus seruantem. Is iuratae fidei admonitus, respondet, patris iussa sibi sanctiora esse debere. Nequicquam autem prohibere transitu parans, DC. circiter suorum tumultuario praelio amisit. † Alia parte Bernhardus, Dux Saxoniae, cum aliquot Episcopis, & Comitibus, nec non auxiliis Leuticorum, nauibus Viadrum traiecerat. Othelricus quoque, Dux Bohemiae, cum manu Bauarorum, irruperat. Impediuit tamen Boleslaus, ne tempore, quo conuenerat, coniungere illi copias cum Imperatore possent. Quin & remeantem per Lusatos insecutus, extremum agmen carpit. Vltra CC. milites, inque illis Gero Marchio, caesi sunt. Inter vulneratos Archiepiscopus Magdeburgi, & Burcardus, Comes Palatii per Saxoniam, nominantur. Micislaus etiam Albim transmittere ausus, vrbem Misnam, nondum idoneo instructam praesidio, tentat. Eum Hermannus Marchio, opportune superueniens, fortiter repulit, † mulieribus adeo, cum viri fere deficerent, ad defensionem excitis.

XXIII. Henrici pacta

Sequente anno, MXVI. Caesar Saxoniae curam Cunigundae Augustae demandat, [1] ipse rebus per Fran-

§. XXII. * DITMAR. p. 404. *Dehinc ad locum, qui Schlancisuordi vocatur, cum exercitu glomerato perrexit, & magnum Comprouincialibus, & Marchioni eorum, Geroni, intulit damnum.* Pro *Schlancisuordi* Francisuordi legendum esse FABRICIVS haud male colligit: h. e. Francofurtum ad Viadrum.

§. XXIII. 1) DITM. p. 407. *Et quia Rudolphus, Burgundionum Rex, auunculus eius, sicut vocatus erat, huc* (nempe Bambergam) *venire non potuit, nepotem sibi dilectum, obuiam sibi pergere rogauit. Fit eorum conuentus in vrbe Argentina &c.*

HENRICVS II. cum Rege Burgundorum.

Francos conſtituendis vacaturus. Argentinam Rudolphus III. Burgundiae Rex, vna cum Regina Hermingardi ad colloquium venit. [2] Modica iam ſic Regum Burgundiae potentia erat, propter Epiſcoporum, & Comitum opes. Rudolphi auctoritatem etiam ignauia & orbitas imminuebat. Itaque pro vetere Burgundiae Regum erga Imperium obſequio, tum & neceſſitudinis rationem habens, propius ſe applicuerat Henrico, conveneratque, vt poſt obitum ipſius Burgundia in ius Imperii veniret. Id minime placebat nonnullis Proceribus Regni, quibus ſuſpicio erat, ſub potente Domino, minus tutam libertatem fore. Inprimis Wilhelmus, qui longe nobilitate & opibus reliquos antecellebat, Comes, aperte aſpernabatur voluntatem Regis. [3] Itaque nunc Argentinae repetitum eſt foedus, adiectumque, ne qua, ab illo tempore, maioris momenti res, inconſulto Caeſare, fieret. Henricus quidem magna liberalitate erga Burgundos, qui cum Rege venerant, vſus : contracto quoque ad Baſileam, exercitu, bellum aduerſus Wilhelmum parabat. Sed ille aditus prouinciae ſuae, vrbesque ipſas ita mu-

2) DITM. p. 407. *Fuit quoque ibidem Rudolphi Regis inclyta coniux, quae familiaritatis huius adiutrix, filios ſuimet duos, ſenioris autem ſui priuignos, Caeſari commendauit: & dilectis ſibi militibus hoc totum dedit in beneficium, quod ſibi ab auunculo ſuimet tum conceſſum, & quod* WILHELMVS PICTAVIENSIS *hactenus habuit regio munere praeſtitum. Imperator ſapiente vſus conſilio, hoc voluit cum ſuis id ſibi firmius ſubdere,* QVOD LONGE PRIVS REX PRAEDICTVS *ei ſacramentis,* POST MORTEM SVAM *ſancierat. Omnem namque Burgundiae regionis primatum, per manus auunculi ſuimet, accepit, & de maximis rebus, ſine eius conſilio non fiendis, ſecuritatem firmauit.*

3) De hoc Wilhelmo DITM. l. c. *Wilhelmus Comes, de quo praedixi, miles eſt Regis in nomine, & dominus terrae in re, & in his partibus nullus vocatur Comes, niſi is, qui Ducis honorem poſſidet; & ne illius poteſtas in hac regione paulo minus minueretur, conſilio, & actu Imperatoriae Maieſtati reluctatur.* Eſt is Comes Guilielmus I Adelberti, Italiae Regis, & Gerbergae Burgundicae filius. Ab eo deſcendunt antiqui Comites Burgundiae.

HENRICVS II.

nierat praesidiis, vt Caesari tentare belli aleam minime consultum videretur. [4]

XXIV.

Imperator arma in Boleslaum parat.

Boleslaus interea munire fines sollicitus, [1] per Legatos etiam placare Imperatorem tentauerat. Vbi rem in Burgundis non ex voto cessisse comperit, iam minus metuens sibi, vltro pacifica consilia abrupit. [2] Caesar tum forte Goslariae, quae vrbs insignia incrementa sub illo habuit, [3] Conuentum agebat. Ibi arma Saxonibus in proximam aestatem imperat: ipse tantisper ad statum Lotharingiae ordinandum pergit.

Interea Lotharingiam pacat.

Quippe defuncto Megingaudo, Popponem, Luitpoldi Austriaci filium, Treuirensibus Episcopum dederat, & acquieuerat Adalbero, [4] retenta praefectura S. Paulini. Iamque Imperator vt Prouinciam penitus pacaret, Aquisgrani, suadente inprimis Heriberto Coloniensi, Theodericum, Epi-

4) DITM. l. c. *Caesar autem Regi & contectali eius, cunctisque suimet Principibus ineffabilem pecuniam dedit, &* FIRMATA ITERVM ANTIQVA TRADITIONE, *eos abire permisit; ipse exercitu congregato ad Basulam vrbem profectus. Sed cum ibi Wilhelmum, munitis vrbibus resistentem, & introitum sibi probibere cupientem audiret, paruae multitudini diffisus, amicam manum vndique secum collegit, & prouincias sibi rebellare praesumentes incendio late flagranti securus desolauit. Cumque se nullam vrbium earumdem expugnare pro certo sciret, reuersus est tristis.*

§. XXIV. 1) DITM p. 407. *Hostis autem noster Bolizlauus inter haec nil nostra laesit, sed sua munit, & certus de euentu Caesaris effectus, laetatur, & nimis extollitur. Namque multi, quibus hoc cognitum erat, veraciter asserebant, si Caesar ad eum tunc turmatim veniret, timore, quod eundem de nostris respiceret, restituere, & eum ad seruitutem suam, pace tantum concessa, promtum & fidelem habere potuisset.*

2) DITMARVS p. 412. narrat primum Boleslaum pacem per Legatos petiisse. Dein pergit: *Archiepiscopi duo, Erkinbaldus, & Gero, & Arnulphus Antistes, cum Comitibus Sigefrido, & Bernhardo, caeterisque Principibus iuxta Mildam fluuium quatuordecim dies sedebant, Boltzlaum per internuncios suimet ad Albim venire rogantes, ad colloquium a se diu desideratum. Et tunc erat Scitiani, & vt legationem audiuit, se ob timorem hostium suorum illo venire, dixit, minime audere. Et nuntii, quid si, inquiunt, seniores nostri ad nigram veniunt Elstram, quid facis? Et ille; Nec pontem hunc praeterire volo.*

3) DITM. p. 413.

4) DITM. p. 406. GEST. TREVIR. cap. 46.

HENRICVS II.

Episcopum Metensem, & fratrem Henricum in gratiam recepit. [5] Huic etiam paulo post Ducatum Bauariae reddidit. * In Saxoniam reuersus, mense Augusto, conuenientes ad Polonicum bellum copias sub signa cogit. † Neque segnior Boleslaus filium Micislaum in Bohemiam, [6] lectumque e Morauis militem in vicinos Bauaros immiserat. [7] Ipse prope Glogouiam castra ponit. Aduentante autem cum Othelrici, Bohemiae Ducis, & Leuticorum auxiliis, Imperatore, Vratislauiam recedit. [8] Nec persecutus Caesar, quod positos passim per loca insidiis apta sagittarios compererat, Nemetiam, vrbem tunc validam, nunc exile in Brigensi regione oppidum, obsidione cingit. Sed ea, cum per socordiam obsidentium, milites ad praesidii supplementum missi, penetrassent in vrbem, irrita fuit. Neque Iaroslaus, Russorum Rex, qui ex foedere cum Henrico, alia ex parte inuaserat Poloniam, operae aliquod pretium fecit. [9]

Exercitum educit aduersus Polonos.

† A. 1017.

Boleslaus Vratislauiae se continet.

Imperator Nemetiam frustra obsidet.

S 3 Vi-

5) DITM. p. 413. *Palmas Rex celebrat in Magontia, & in Ingelheim Pascha, & in his partibus magis honorifice ac potestatiue numquam fuit. Et quia ob tantam solennitatem, maxima ibidem finiri non poterant, ad Aquisgrani ponitur conuentus, & tunc illic cum consilio Heriberti Archipraesulis, Thiedricum Metensem Episcopum, & Henricum fratrem eius placauit.*

* DITM. p. 416. *Imperator Bauenberg visitat. - - Ibi tunc mense Decembri, Henricum etiam, quondam Bauariorum Ducem, & tunc VIII. annos & paene tot menses sua depositum culpa, pristinis restituit honoribus.* IDEM p. 423. *Imperatrix Bauariam petiit, fratremque suum, Ducem Henricum, Ratisbonae inthronizauit*

6) DITM. p. 415. *Dum haec aguntur Miseco, Bolezlani filius, Bohemiam, absentia Othelrici Ducis sui, minus solito repugnantem, cum decem legionibus inuadens, duas dies praedatur, & cum innumerabili captiuorum multitudine reuersus, patrem gaudiis impleuit magnis.*

7) DITM. p. 414. *Interea Marauenses, Bolizlai milites, magnam Bauaricorum cateruam dolo circumuenientes, incautam occidunt, damnum sibi ab eis illatum prius, ad partem haud exiguam, vlciscentes.*

8) DITMAR. p. 415. *Bolizlaus vero in* WORCIZLAVA *ciuitate euentum rei sollicite expectans, cum Imperatorem abisse, vrbemque suam incolumem stare audiret, laetatur &c.*

9) DITM. p. 416. *Tum primum comperit, Russorum Regem, vt sibi per internuntium promisit suum, Bolizlauum petiisse, nilque ibi ad vrbem obsessam profecisse.*

HENRICVS II.
Slaui limitem Saxoniae populantur.

Viciſſim Boleslaus iterum Morauos in Bohemiam,[10] veloceſque e Slauis ſuis turmas, (quod peculiare ſemper illi militiae fuit **) ipſam Saxoniae oram infeſtare iubet. Ex his alii Belgeram, oppidum ad Albim ſitum, aggrediuntur, atque aegre a moenibus depulſi ſunt.[11] Alii agrum inter Albim & Muldam, ſub oculis fere Henrici, qui Mersburgum iam redierat, populati, vltra mille homines in ſeruitutem abduxerunt.[12]

XXV.
Pax cum Boleslao Budiſſinae inita.

Ceſſantibus per hiemem armis, pacem denuo petit Boleslaus,[1] omnem, vti videtur, vim in Ruſſos verſurus. Saxones quoque iam dudum belli eius taedebat, in quo non ab hoſte magis, quam a ſociis regiones, per quas tranſitus eſſet, vaſtari ſolebant. Itaque Imperator † Geronem, Archiepiſcopum Magdeburgenſem, & Arnulphum Halberſtadienſem, cum Hermanno, & Thiederico Marchionibus, & Friderico, Camerario, Budiſſinam miſit, ibique prid. Kal. Febr. pax facta eſt.[2] Eam

† A. 1018.

10) DITM. p. 415. *Interim* MARARENSES *Bohemiam ingreſſi, vrbem quamdam expugnant, & cum praeda ingenti incolumes exibant. Quod cum Marchio Henricus, hos petere cum exercitu conatus, audiret, feſtinus inſequitur, & occiſis ex eorum numero plus quam mille viris, fugientibus caeteris, captiuitatem hanc omnem ſolutam domum remiſit.*

** De militia Slauorum conf. Geſchichte der Teutſchen, P. II. Anm. p. 211.

11) DITM. p. 415. *Neque tacendum eſt, quod alii milites Bolizlai, vrbem Belegori dictam, XVIII. Kal. Sept. aggreſſi, & bello eam impugnantes diutino, Dei gratia nil proficiebant.*

12) DITM. p. 416. *Deſleam quoque, quod Bolizlaui ſatellites inter Albim & Mildam facinus perpetrabant. Namque hi, iuſſu ſenioris ſui, velociter egreſſi, XIII. Octobr. plus quam mille mancipia in his partibus ſumſerunt, plurimaque incendio late conſumentes, proſpero itinere reuertuntur.*

§. XXV. 1) Primam mentionem pacis, DITMARVS notat p. 416. de Legato Boleslai ſcribens: *Si aliquem Imperatori nuntium, de acquirenda eiuſdem gratia, mittere licuiſſet, diligenter inquirit.*

2) Neque huius pacis conditiones ſeruauit Hiſtoria. DITMARO certe haud placuerunt. Is p. 419. ſcribit: *Poſtea iuſſu ſuo, & aſſidua Bolizlaui Ducis ſupplicatione, in quadam vrbe, Budiſſin dicta, a Gerone & Arnulpho Epiſcopis, & a Comitibus Hermanno, atque Thie-*

HENRICVS II.

Leutici Abotritarum Regi bellum inferunt.

Eam noua cum Saxonicis Principibus affinitate firmaturus Boleslaus, Odam, Eccardi Marchionis filiam, in matrimonium ducit.[3] Leutici, qui Caesari auxilium tulerant, Miſtislao, Abotritarum, & Vagriorum Regulo, quod nulla eos re aduerſus Polonos iuuerat, infenſi, bellum ſubito, tantumque terroris inferunt, vt in caſtrum Suerinum ſeſe includeret.[4] Mox inde quoque exturbatus a ſuis, qui, ſpe libertatis a Leuticis incenſi, iam nec Regem ferre, nec Chriſtiana retinere ſacra volebant, Bardouicum in Saxoniam confugit: in quo exilio & diem obiit.[5] Slaui autem ad idolorum cultum relapſi, omnia Chriſtianae rei monumenta, & inſtituta delent. Conterminos etiam Saxones laceſſunt. Fruſtra Bernhardus, Epiſcopus Altenburgi in Vagria, calamitates dioeceſeos ſuae apud Imperatorem queritur. Neque enim aliis diſtentus curis, vlciſci tum poterat.[6] Poſt aliquot demum annos, virtute Bernhardi II. Ducis,

Miſtislaus a ſuis pellitur.

Slaui Saxones Tranſalbinos infeſtant.

Thiederico, & Friderico, ſuimet Camerario, pax ſacramentis firmata eſt III. Kal. Febr. non vt decuit, ſed ſicut tunc fieri potuit, electisque obſidibus acceptis, praefati ſeniores reuerſi ſunt.

3) DITM. l. c. *Tranſactis autem quatuor diebus, Oda, Eckkihardi Marchionis filia, a Bolislao diu iam deſiderata, & per filium ſuimet Odonem tunc vocata, Zizam venit: & quia tunc nox erat, multis luminaribus incenſis, ab immenſa vtriuſque ſexus multitudine ſuſcepta eſt, ac nupſit Duci praedicto, poſt Septuageſimam, abſque Canonica auctoritate, quae viuebat hactenus ſine matronali conſuetudine, admodum digna, tanto foedere.*

4) DITM. p. 420. *In illo tempore Luitici, malo ſemper vnanimes, Miſtizlavum ſeniorem, ſibi in priori anno ad expeditionem Imperatoriam nil auxiliantem, turmatim petunt, plurimamque regni ſuimet partem deuaſtantes, vxorem ſuam & nurum effugare, ac ſemetipſum intra Zuarinae ciuitatis munitionem cum militibus electis colligere cogunt.*

5) DITM. l. c. Iſque ſuppleri debet ex HELMOLDO, qui Lib. I. c. 16. Regem Abotritarum Bardouici obiiſſe auctor eſt.

6) DITM. l. c. *Bernhardus, confrater Parthenopolitanus, & a poteſtate iſtius gentis tunc Epiſcopus, id vt primo comperit, non ſecularis ſuimet damni, ſed potius ſpiritualis, immenſo dolore commotus, Imperatori noſtro id nunciare non deſiſtit. Hac legatione audita, Caeſar grauiter ſuſpirat, ſed de talibus reſpondere ad Paſcha differt.*

HENRICVS II.

cis, ferocia Venedorum compressa, & Transalbinae Saxoniae tranquillitas restituta est.[7]

XXVI.

Boleslai aduersus Russos bellum.

Boleslao pax cum Germanis, profuit ad bellum aduersus Russos acrius vrgendum. Russorum gens a Tauro monte progressa, cum in Sarmatia consedisset, per varias nationes nomen diffudit.[1] Illud hoc aeuo Vlodomirus[2] illustrauit, clarus inito cum Graecis Imperatoribus, Basilio & Constantino, foedere: ductaque in matrimonium Anna, sorore ipsorum.[3] Christiana sacra iam ante Russis Helena Regina intulerat.* Sed paulo post collapsa occasione huius connubii Vlodomirus & ipse iterum suscepit, & inter populares suos instaurauit.** Erant Vlodomiro tres filii. Ex illis vnus, Suantipulcus nomine, filiam Boleslai in matrimonio habebat, quam Reinbernus, Episcopus Colbergensis, in Russiam deduxerat. Is est Reinbernus, cuius sub Ottone III. inter Praesules, nouae metropoli Gnesnensi attributos meminimus, qui, cum magno flagraret ardore conuertendi ad Christianam disciplinam Paganos, inter

Vlodomiri, Russorum Regis, elogium.

7) AVCT. CHRON. SLAV. ap. LINDENBROG. HELMOLDVS Lib. I. cap. 17. de Bernhardo Duce: *Mox quoque fauente Unwano, Slauos tributo subiiciens, pacem reddidit Nordalbingis, & matri Hammenburg.*

§. XXXI. 1) Ortum & migrationes Russorum attigi in Geschichten der Teutschen P. II. Anm. p. 217.

2) DITM. p. 418. Ex eo, vtpote aequali Scriptore, Russorum Annales emendandi sunt, qui rem paulo aliter narrant. Vid. Excerpta ex Chron. Kioviensi, in der Sammlung Russischer Geschichte P. III.

3) De hoc Vlodomiri, f. Basilii, connubio supr. Lib. III. 23. not. 3.

*) De Russorum conuersione, temporibus Ottonis M. supra egi. Caeterum religio in istis Sarmatiae regionibus antiquior est Russorum dominatione: & ad S. Andream, qui Scythis annunciasse Euangelium memoratur, primas origines refert. *De quo* in Geschichten der Teutschen P. II. Anm. p. 204.

** Hanc Russorum sub Vlodomiro conuersionem illustrauit PAPEBROCHIVS in Praef. ad Ephemerides Graecorum & Moscorum, quas T. I. Act. SS. mensis Maii praefecit. Inde repetiit PAGIVS, quae habet ad An. 987. n. 9. Epocham autem susceptae a Vlodomiro Christianae religionis figit ad An. 988.

HENRICVS II.

inter Ruſſos quoque inſigniter eam propagauit.[4] Caeterum id connubium magnorum poſtea bellorum cauſa fuit. Namque Vlodomirus, filium ſuſpectum habens, quaſi Boleslai impulſu, rebus nouis ſtuderet, vna cum vxore, & Reinberno Epiſcopo in carcerem coniecit. In quo Reinbernus etiam fato functus eſt. Mortuo paulo poſt Vlodomiro, † Iaroslaus cum altero fratre, excluſo Suantipulco, regnum diuiſit. Hic autem e cuſtodia, qua detinebatur, euadens, ad ſocerum fugit, opemque eius implorat. Inde atrox inter vicinos populos bellum. Iamque Boleslaus valida e Germanis, Vngaris, Peucinis auxilia trahens, aduerſus Ruſſos profectus,[5] Iaroslaum praelio vicit. Victori Kiouia,[6] inclyta iam tum ad Boryſthenem Vrbs, & Metropolis regni Ruſſici, patuit, eumque communi nomine Archiepiſcopus in monaſterio S. Sophiae excepit. Inde ad Imperatorem Byzantinum, pro iungenda amicitia Legatos miſit.[7] Pax tandem cum Iaroslao ita compoſita,

Boleslaus pro genero Suantipulco arma capit.

† 1015.

Victor Kiouiae recipitur.

Legatos Conſtantinopolim mittit.

Pacem cum Iaroslao facit.

T vt

4) Reinberni Epiſcopi feruorem in conuertendis Paganis laudat DITMARVS p. 417. Huc & referas, quod p. 426. de Kiouia ſcribit: *Bolizlauum, & quem diu amiſerat, Zuentipulcum, ſeniorem ſuum, cuius gratia, & noſtrorum amore, omnis haec regio conuerſa eſt, ſuſcepit.*

5) DITM. p. 426. *Fuerant in auxilio praedicti Ducis, ex parte noſtra trecenti, & ex Vngariis quingenti, ex Pecineis autem mille viri.* Pecinei, vel Pecenigi, ſunt Peucini, (qui & Baſtarnae) veterum: vti obſeruaui in Geſchichten der Teutſchen, P. II. Anm. p. 196.

6) DITMARVS frequentiam Vrbis mirifice extollit, p. 427. *In magna hac ciuitate, quae iſtius regni caput eſt, plus quam quadringentae habentur Eccleſiae, & mercatus VIII. Populi autem ignota manus, quae, ſicut omnis haec prouincia, fugitiuorum robore ſeruorum huc vndique confluentium, & maxime e velocibus Danais, multumque nocentibus Pecinegis, hactenus conſiſtebat.*

7) DITM. p. 427. *Ad Graeciam quoque ſibi proximam nuncios miſit, qui eiusdem Imperatori bona, ſi vellet fidelis amicus haberi, promitterent: ſin autem, hoſtem firmiſſimum, ac inuincibilem fieri intimarent.*

HENRICVS II. vt Suantipulcus & vxorem, & aequam Regni portionem reciperet. [8]

XXVII. *Imperator pacta cum Rudolpho Rege renouat.*

Imperator ſolutus cura belli Polonici, ex Saxonia ad Rhenum ſecedit, id maxime in animo habens, vt conſilium de Burgundia Imperio adiicienda perficeret. Moguntiae Rudolphus Rex iterum cum Regina & comitatu Procerum adeſt, renouatoque pacto, inſignia etiam Regni, tradit. [1] Vt vero Lotharingos promtiores ad Burgundicam expeditionem haberet, Belgicas ante regiones, feſſas ciuilibus diſcordiis, pacare ſtatuit. Durabant vetera inter Godfridum Ducem, & Comites Louanii atque Hannoniae, qui praereptum familiae ſuae Ducatum aegre ferebant, † odia, aſperata recente clade. Quippe Godfridum, populatum Hannoniam, † dum Raynerius Comes, cum patruo Lamberto Louanienſi, inſequitur, commiſſo apud Florinos praelio, Lambertus cum CCCC. amplius viris occubuerat. [2] Scaeua etiam inter Baldricum Cliuiae, & Vicmannum, Zutphaniae Comitem, iurgia, occiſus ex inſidiis Vicmannus infamabat. [3] Erat praeterea eidem Godfrido Duci non leuior ſimultas cum Gerhardo, comite Metenſi, e nobiliſſima Comitum Alſatiae

Bella ciuilia per Lotharingiam.

† V. ſupr. §. 14.

† A. 1016.

Pugna inter Godfridum Ducem, et Gerhardum, Comitem.

8) IBID. *Archiepiſcopum praedictum ad Iarezlavum miſit, qui ab eo filiam ſuimet reduci peteret, & vxorem ſuam cum nouerca, & conſororibus, reddi promitteret.*

§. XXVII. 1) DITM. p. 421. *Auunculus namque ſuus, Burgundionum Rex, Rudolphus, coronam ſuimet, & ſceptrum, cum vxore ſua & priuignis, ac optimatibus vniuerſis ſibi conceſſit, reiterataque ſacramenti confirmatio.* Paulo aliter narrat SIGEB. GEMBLAC. ad A. 1020; (ſeu rectius 1018.) *Rudolphus, Rex Burgundiae, inſolentia Burgundionum irritatus, regnum Burgundiae Henrico Imperatori dare tractat: Sed cum ab hac intentione reuocat ſimulata Burgundionum ſatisfactio.*

2) DITM. p. 411.

3) Baldrici cum Vicmanno bella, caedemque Vicmanni narrat DITMAR. p. 411. 412. Hunc filium fuiſſe Vicmanni illius, cuius fata ſupra ſub Ottone I. §. 35. recenſuimus, coniicitur in GVNDLINGIAN. XXXV. p. 401. ſequ.

HENRICUS II.

ſatiae ſtirpe. [4] Vtrique ſe applicant alii ſtrenui viri, prout quemque neceſſitudo, aut militaris ardor impellit: & inter Gerhardi quidem aſſeclas, praeter eundem Baldricum, Conradus imprimis memoratur, ſororis eius filius, quem iam nunc Salicum, quo cognomine poſtmodum inter Imperatores inclaruit, appellare liceat. Vbi res ad pugnam venit, Gerhardus, amiſſis CCC. ſuorum, inferior diſceſſit. [5]

XXVIII. Conuentus Neomagi.

Henricus Neomagi frequentem Conuentum Epiſcoporum & Procerum habuit. In eo quidem Godfridum Ducem, & Gerhardum Comitem ad concordiam reduxit, [1] Baldricum etiam Cliuium, patratae in Vicmannum caedis reum, in gratiam recepit. Contentionem autem inter Adelboldum, Epiſcopum Vltraiectinum, & Theodericum, comitem Hollandiae, ſopire non potuit. Mirweidam, [2] id loco nomen, inter Vahalim & Moſam, occupauerat Comes, reclamante Epiſcopo, detinebatque ſpreta Principis auctoritate.† Is itaque Godfridum Ducem

Bellum inter Adelboldum Epiſcopum Vltraiectinum, & Comitem Theodericum.

† Ditm. p. 425.

4) Clariſſima eſt Comitum Alſatiae Domus. A fratre huius Gerhardi, Adalberto, Duces Lotharingiae Superioris deſcendunt. Ex eiusdem Gerhardi fratruele, Lendelino, Comite Altenburgi, & Vindoniſſae, Habsburgici prognati ſunt.

5) DITM. p. 415. *His quoque adiiciam mortiferum Godefridi Ducis, & Gerhardi Comitis congreſſum. Illi namque diu inuicem diſcordes, certum condixere diem, quo cum ſuis fautoribus haec certo duelli iudicio, diſcernerent. Menſe Auguſto, ac VI. Kal. Sept. in quadam prati planitie condicta confligebant. Sed ſuperbiam Gerhardi humilitas Chriſti molliens, ac ſocios eius in fugam ſubito vertens, non minus ex his, quam CCC. proſtrauit viros. . . . Capti ſunt autem tunc ex parte Senioris ſui Sigefridus, eiusdem filius, nepos autem Imperatricis noſtrae, cum* BALDRICO, *aliisque quam plurimis. Sauciatus eſt ibi Cono, cui iam illicite nupſit neptis ſua, Erneſti Ducis filia.* Huius praelii meminit GERHARDVS in charta, quam edidit GVICHENON. in Bibl. Sepus. p. 164. & 395.

§. XXVIII. 1) DITM. p. 423. *Godefridus quoque Dux, & Gerardus Comes, Imperatoria poteſtate pacificati ſunt.*

2) Locum a DITMARO deſignatum illuſtrat ALTINGIVS T. II. p. 126. Conf. ibid. Tabulam X. Veteris Friſiae.

HENRICVS II.

cem ſuppetias ferre Adelboldo iubet.[3] Leodienſis etiam Antiſtes, & Cameracenſis, militem auxilio mittit.[4] Sed victor Theodericus cruento praelio, † quo flos Belgicae militiae periit. Godfridus Dux capitur. Adelboldus vix nauiculam inuenit, qua necem, aut vincula effugeret.[5] Paulo poſt tamen miſſus ab Imperatore Wolbodo, Epiſcopus Leodienſis, pacem aequa conditione inter Vltraiectinum, & Comitem conciliauit. Ita & Godfridus libertatem recepit.[6] Interea Henricus, ſoluto Neomagenſi conuentu, Aquisgrani & Ingelheimi aliquantisper moratus, Baſileam pergit, collectoque exercitu vlterius in Burgundos tendit, aſſerturus iterata cum auunculo pacta. Sed nec tum obſequentem fortunam habuit.[7] In reditu etiam Theodericus, Lotharingiae Supe-

† d. 30. Iulii.

Imperator in Burgundiam proficiſcitur.

3) SIGEB. GEMBL. ad A. 1018. *In Friſonia Deoderico Comite, filio Arnulphi Gandauenſis, debellante Friſones, in vindicta patris ſui, ab eis occiſi, Godefridus Dux ad eum debellandum, ab Imperatore mittitur* &c.

4) ANSELM. in Vit. Baldr. in Geſtis Pontif. Tungr. T. I. p. 259. & BALDRIC. in Chron. Camerac.

5) DITM. p. 425. *In Iulio menſe, ac III. Kal. Aug. & Feria III. Mars ſaevit in viſcera, quod in perpetuum plangit mater Eccleſia. Petiis enim Adelboldus, Traiectenſis Epiſcopus, cum Godefrido Duce, auxilioque ſuimet ſociorum atque amicorum, Imperatricis noſtrae nepotem, Teiedericum, ſe prius in occiſis militibus ſuis multum nocentem, & in inſula quadam fit conuentus collecti exercitus. Hic velociter ad pugnam praeparatus, mortem, quam hoſti memoratur, patitur. Namque a Freſonibus ex inſidiis vndique erumpentibus, & a praedicti iuuenis ſatellitibus, ex improuiſo is circumuentus, dictu terribile, gladio & aqua, ſine reſiſtentium damno, vitam hanc finit. Epiſcopus autem in nauicula quadam vix ſugit, ac Dux ab hoſte ſaluatus eſt, &, vt veraces affirmant, plus quam tres legiones interfectorum ſunt.*

6) REINERVS Monachus in Vit. S. Wolbodonis cap. 2. (in Actis SS. April. T. II. p. 560.) rem ita narrat: *Permotus eſt Imperator, cum audiſſet, atque Wolbodonem cum Legatis Freſoniam miſit, quod genere & ſanctitate clarus eo loco haberetur. Qui etiam ... ſua effecit induſtria, vt & captiuitate Dux ſolueretur, & illata Duci & regno iniuria Freſonibus ab Imperatore donaretur.*

7) DITM. p. 423. *Interea Caeſar ad Baſulenſem veniens ciuitatem, exercitu collecto, in Burgundiam properat.* Sed nihil eum profeciſſe queritur p. 417. *De Imperatore noſtro nunc mihi ſermo oriatur, qui de inuiſa expeditione reuerſus, nil de promiſſis percepit, ſed parum ſibi renitentibus nocuit.*

HENRICVS II.

Superioris Dux, qui feorfim incedebat cum fuis, grauem cladem ab hoftibus paffus eft. † Altero abhinc anno Wernerus, Epifcopus Argentoratenfis, cum aliis Sueuis Burgundos praelio viciffe legitur. [8] Incertum tamen vtrum ad hanc caufam illa arma pertinuerint.

† Ditm. p. 427.

XXIX.

Ducum in Sueuia fucceffio.

Imperator ex Burgundia in Sueuiam deflectit. * Ea prouincia poft mortem Hermanni pueri, Ernefto obtigerat, Leopoldi, Marchionis Auftriae, filio, † qui fororem eius Gifilam in matrimonio habebat. Is haud multo poft † in venatione, errore comitis, occifus eft. [1] Tum Imperator Ducatum dedit filio, Ernefto II. eumque impuberem tutelae matris commendauit. [2] Additus praeterea regendae iuuentuti eius Patruus Poppo, Archiepifcopus Treuirenfis. [3] Sequente anno, MXIX. ciuilia per Germaniam bella curam Imperatoris aduerterunt. Alterum propter Carinthiam exortum eft. Quippe Henricus poft mortem † Conradi, Francorum & Carentanorum Ducis, praeterito filio eius, Conrado, Carinthiam Adalberoni alicui dederat. [4] Cum adoleuiffet interea iuuenis, iam auxilio Conradi Salici, Patruelis fui, Ducatum velut hereditario iure fibi debitum, armis repetit. Commiffum eft praelium prope Vlmam, &

† V. fupr. §. 8.

† A. 1015.

Contentio de Ducatu Carinthiae.

† A. 1012.

 Adal-

8) HERM. CONTR. ad A. 1020. *Werinharius, Argentinae Epifcopus, auxiliantibus quibusdam Sueuis, Burgundiones inuafit, & conferto praelio vicit.* Hic eft Wernerus Fundator Monafterii Murenfis.

§. XXIX. * DITM. p. 427. *In Sueuia regione colloquium de Republica habuit.*

1) ID. p. 403.

2) ID. p. 404. *In natiuitate S. Ioannis Baptiftae ad Gosleri Caefar veniens, Ernefti Ducatum nepti fuae, & filio eius dedit.*

3) WIPPO, p. 423. *Treuirenfem quoque Archiepifcopatum gubernauit Poppo, frater Ernefti Ducis, vir pius & humilis, qui eodem tempore filium fratris fui, Ducem Erneftum, cum Ducatu Alemannico, fub tutela habuit.*

4) HERM. CONTR. ad A. 1012. *Conradus, Dux Carentani, filius Ottonis Ducis, fraterque Brunonis, dudum Papae, obiit: & priuato filio eius, puero Conrado, Adalbero Ducatum accepit.*

HENRICVS II.
Imperatoris in Bernhardum, Ducem Saxoniae, arma.

Adalbero quidem in fugam coniectus; [5] neque tamen Conradus Ducatu tum potitus eſt: Imperatore, quam diu vixit, tuente beneficium ſuum. Saxoniam Bernhardi Ducis cum Vnuano, Archiepiſcopo Hamburgenſi, lites turbabant. Aduerſus illum cum exercitum duxiſſet Imperatôr, Meinwerci Paderbornenſis opera ad amicam compoſitionem redacta res eſt, atque Bernhardus ad Caſtellum Scalkenburgum prope Viſurgim, ad obſequium venit. [6] Talibus diſtentum curis Italicum bellum expectabat.

XXX.
Status Italiae ſub Imperio Henrici.

Italia, ſub miti Henrici imperio dum pacis bonis fruitur, extollere paſſim caput vrbes: Genuenſes inprimis, & Piſani, maritimis opibus inclareſcere: Florentini autem, expugnatis dirutisque Faeſulis, in media Hetruria nouae potentiae fundamenta iacere. [1] A. MXVI. Saraceni ex Sardinia traiicere in Hetruſcum ſolum auſi ſunt. Eos Benedictus Papa, ad Lunam aggreſſus, magna ſtrage affecit, partemque praedae Imperatori tranſmiſit.

5) ID. ad A. 1019. *Conradus adoleſcens, filius Conradi, quondam Ducis Carentani, auxiliante patruele ſuo, Conrado, poſtea Imperatore, Adalberonem, tunc Ducem Carentani, apud Vlmam pugna victum fugauit.*

6) VIT. S. MEINWERCI n. 81. *Imperator cum exercitu contra Bernhardum, Ducem Saxoniae, perrexit: ibique mediante Domino Meinvverco Epiſcopo, cum amicis ſuis, in pace omnia conſtituit.* Haec illuſtrantur ex AD. BREMENSI, Lib. II. cap. 33. p. 25. vbi ita de Bernhardo Duce: *Deinde per ſuperbiam beneficiorum immemor, totam ſecum ad rebellandum Caeſari mouit Saxoniam. Nouiſſime ſurgens in Chriſtum, eccleſias huius patriae non dubitauit impugnare, praecipue noſtram, quae & ditior eo tempore caeteris, & remotior videbatur a manu Imperatoris. Huius impetum viri Vnvvanus Archiepiſcopus, ſua taliter magnanimitate refregiſſe dicitur, vt prae pudore ſapientiae, ac libertatis Epiſcopi, cogeretur ipſe Dux, Eccleſiae, cui ante auerſatus eſt, deinceps hilaris & beneuolus in omnibus exiſtere. Ergo habito noſtri Pontificis conſilio, rebellis tandem flexus Princeps apud Scalchinburg Caeſari Henrico ſupplex dedit manus.* Scalkenburgum prope Viſurgim ſitum, in hodierna ditione Mindenſi.

§. XXX. 1) Conf. SIGON. p. 477. ibique not. 17.

HENRICVS II.

misit.[2] Haec victoria Insulam ipsam armis Pisanorum aperuit.[3] In vlteriori autem Italia, graue bellum ex Graecorum cupiditate ortum est; dum illi conualescentibus sub Basilio Byzantini Imperii rebus, amissa per Apuliam etiam recuperare cupiunt. Catapanus itaque (hoc Praesidi nomen, qui Barii sedem habens, Apuliam & Calabriam regebat,) proferre arma, nouasque passim arces exstruere. Sed dum Apulis durius imperitant Graeci, Melo & Datus, vterque nobilitate & opibus inter Barienses conspicuus, Prouinciales ad arma capienda excitant, opemque vicinorum implorant.[4] Tum forte Normanni aliquot viri strenui montem Garganum, in quo celebre fanum Michaelis Archangeli, religionis causa inuiserant. † Hosce adsciscens Melo, rem aliquoties fortiter gerit. Sed tandem apud Cannas, (Romanorum olim clade famosum locum,) victus a Catapano, ad Henricum Caesarem in Germaniam confugit, ostenditque, Graecos Imperio Occidentis imminere, nisi mature cum validis copiis

Graeci in Apulia res turbant.

Melo bellum aduersus illos gerit.

Aduentus Normannorum in Apuliam.

† V. not. in f.

Melo Henrici opem implorat.

2) DITM. p. 411. *In Longobardia Saraceni nauigio venientes, Lunam ciuitatem . . . inuadunt &c.* PAGIVS ad h. a. n. 10. Lucam interpretatur. Sed rectius Lunam intelliges, ex cuius ruderibus surrexit Sarzana.

3) CHRON. PISAN. ap. PAGIVM ad A. 1016. n. 10. *Anno Domini MXVI. Sardiniam Pisani & Genuenses deuicerunt. Anno Domini MXVII. Rex* (nempe Saracenorum) *Mugiettus, & Saraceni deuicerunt Sardiniam, & eodem anno Pisani, & Genuenses eam recuperauerunt, & cum Pisanis & Genuensibus adiudicata esses, Genuenses voluerunt Pisanos expellere, sed ipsi anno eodem a Pisanis superantur, & de tota Sardinia expelluntur.*

4) LEO OSTIENS. Lib. II. cap. 37. *Cum superbiam insolentiamque, ac nequitiam Graecorum, Apuli ferre non possent, cum eodem Melo, & cum Datto quodam, aeque nobilissimo, ipsiusque Meli cognato, tandem rebellant.* Belli, quod a Melone gestum est, meminit CEDRENUS p. 706. D. *Quidam enim vir potens, vnus de iis, qui Barin incolebant, nomine Meles, concitatis Longobardis, arma contra Romanos mouit. Cumque Imperator aduersus hunc misisset Basilium Argyrum Sami, & Contoleonem, Cephaloniae praefectos, Melos*

HENRICVS II.

Benedictus Papa Imperatorem inuisit.

† A. 1019.

Princeps Capuae, ad Graecos inclinat.

copiis sese obiiciat.[5] Idem suadebat Benedictus VIII. Papa, qui Solenne Paschatos, eo anno, † cum Imperatore Bambergae celebrauit.[6] Sed dum ad Italicam expeditionem se comparat Henricus, moritur Melo. Interea & Pandulphus, Capuae Princeps, cum fratre Atenulfo, Abbate Casinensi, ad partes Graecorum inclinat. Iamque se, & regionem omnem dedere Imperatori Basilio parat.[7] Datum Benedictus Papa susceperat, eique Turrim ad Vulturnum fluuium tuendam commiserat. In illum nihil tale opinantem, impetrato a Pandulfo transitu, irruit Catapanus, captumque Barium abducit: ibique culeo insutum in mare praecipitem dari iubet.[8]

XXXI.

Imperator in Italiam mouet.

Anno tandem MXXI. exeunte, Imperator in Italiam profectus,[1] Comitia Veronae habuit. Ibi in Longobar-

Melos illustri eos praelio vicit, multis caesis, haud paucis captis, reliquis turpi fuga vitam tutatis.

5) LEO OSTIENS. Lib. II. cap. 37. de Melone: *Ipse vltra montes ad praedictum Imperatorem abiit, vt ad expellendos Graecos, vel ipsum per se ad has partes venire suaderet, si posset, vel militum ab eo auxilio acciperet, si non posset.*

6) CHRON. HILDESH. ad A. 1019. *Eo anno in Pascha, Papam de Roma in Banenberg hospitio suscepit.* HERM. CONTRACTVS addit, Benedictum Papam Bambergae Ecclesiam S. Stephani dedicasse. WIPPO in Vit. Conradi Salici, loquens de Episcopatu Bambergensi, a S. Henrico fundato, ait: *Ad cuius dedicationem Domnum Apostolicum, nomine Benedictum, adsciuit, cuius auctoritate, ad tutandum locum, priuilegia publica stipulatione confirmauit.*

7) LEO OSTIENS. Lib. II. cap. 38. *Cum Capuanus Princeps latenter faueret Constantinopolitano Imperatori, Basilio, fecit interim fieri claues aureas, & misit ad illum, tam se, quam Ciuitatem Capuanam, imo vniuersum Principatum eius, per haec Imperio contradens.*

8) ID. l. c.

§. XXXI. 1) LEO OSTIENS. Lib. II. cap. 39. *His omnibus Augustae memoriae Imperator Heinricus auditis, Graecorum scilicet inuasionem, Principis tergiuersationem, Datti denique crudelissimam necem, reputans, amissa Apulia, ac Principatu, Romam quoque, ni maturaret, ac per hoc Italiam totam consequenter sibi, & in proximo amittendam, cum iam Melo bis ad eum hac de causa profectus vltra montes, defunctus fuisset, minime amplius remorandum ratus, anno incarnationis Dominicae millesimo vicesimo secundo, immenso valde totius Regni congregato exercitu, Italiam venit.*

gobardos aliquot Proceres, qui partium Harduini fuerant, & nunc quoque rebus nouis ſtuduiſſe arguebantur, animaduertit. [2] Eo S. Romualdum, Eremiticae Diſciplinae Inſtauratorem, iam olim ſibi notum, & nunc maxime ſanctitatis fama per Italiam & Germaniam florentem, ad colloquium euocat,[3] miratusque in illo Viro ſummum rerum humanarum contemtum, duo illi monaſteria, aptanda ad ſacram ſolitudinem, donauit.[4] Caeterum auctis Italico milite Germanicis copiis diuidit exercitum. Pilegrinum, Colonienſem Archiepiſcopum, Romam praemittit, vt omnia ad bellum aduerſus Capuae Principem compararet. Ipſe per maritimam Piceni oram, in Apuliam ducit, Poppone Treuirenſi cum XIM. militum, per Marſos incedente.[5] Beneuenti ſum-

HENRICVS II.

Comitia Veronae.

Bellum in Apulia feliciter gerit.

V

2) ARNVLPHVS Lib. I. cap. 18. de Henrico: *Qualiter Marchiones Italiae quatuor, Vgonem, Azonem, Adelbertum, & Obizonem captione ſua una conſtrinxerit, recitare non expedit, dum in fortitudine eius omnis terra contremuit, usque adeo, vt, ſi qui reperti fuerint, Ardoini fauiſſe partibus, aut fugerent, aut deditionem facerent.* De hiſce Marchionibus vid. MVRAT. in Antiqu. Eſtens. P. I. cap. 14. p. 114. 115.

3) Rem narrat PETR. DAMIANVS in Vit. S. Romualdi cap. 19. (in Act. SS. Menſ. Febr. T. II. p. 122.) Idque Veronae factum addit Hieronymus Eremita, in Vit. eiusdem S. Romualdi. ib. p. 1134. Colloquium cum S. Romualdo ita deſcribit PETR. DAMIANVS in Vit. Ei. l. c. p. 122. *Igitur inuiolato ſilentio perrexit ad Regem. Cui Rex protinus aſſurgens, ex magno cordis affectu in hanc vocem erupit, dicens: O utinam anima mea eſſet in corpore tuo. Quem mox, vt loqueretur, ſuppliciter obſecrans, ipſo die hoc impetrare non potuit. Poſtera autem die Romualdo ad palatium veniente, ecce Theutonicorum multitudo certatim hinc inde concurrunt, capita ſalutantes humiliter flectunt, villos quoque pelliceae veſtis, qua erat indutus anxie decerpentes pro ſacris reliquiis in patriam portaturi, ſtudioſe recondunt. Quae videlicet res venerabilem virum tanto moerore deiecit, vt, niſi diſcipulis obſtantibus, acquieſceret, ad cellam protinus repedaret. Ingreſſus igitur ad Regem, non pauca ſibi locutus de reſtituendo iure eccleſiarum, de violentia potentum, de oppreſſione pauperum, & poſt multa, vnum ſibi pro ſuis diſcipulis monaſterium petiit.* Baronius colloquium Henrici cum S. Romualdo recte ad hanc expeditionem retulit: idque ex ipſis tabulis donationis confirmat P. GVIDO GRANDVS Diſſert. Camaldul. II. p. 143.

4) Abbatiam S. Benedicti ad Biſurcum, & Monaſterium Montis Amiati.

5) LEO OSTIENS. Lib. II. cap. 39.

HENRICVS II.

summis studiis exceptus a Waimario Duce, vt assereret priscos Regni fines, Troiam obsidet, [6] quam vrbem VIIIM. passuum a Luceria Graeci nuper condiderant, opportunam situ aduersus Longobardos. [7] Interea Coloniensis Pandulphum, obsessum Capuae, in potestatem acceperat, vinctumque Caesari in castris ad Troiam sistit. Damnatur capitis Principum iudicio : sed deprecante Pilegrino vita ei condonata est. [8] Abbas Casinensis, qui ad famam aduenientis Pilegrini, Hydruntem confugerat, ibique mari se, Constantinopolim petiturus, commiserat, naufragio interiit. Imperator Troiam, tertio, ex quo obsideri coeperat, mense † in deditionem recepit. Tum Salernum, & Neapolim adiit, nutantesque Prouincialium animos confirmauit in fide. Capuae regionis illius Principatum Pandulpho, Comiti Teanensium, Comitatum vero ipsius nepotibus Melonis dedit. [9] Normannis etiam, quorum virtus in bello emicuerat, agros concessit, vt sub Longobardis Principibus aduersus Graecos militarent. [10] Ipsum enim ingrauescens aestus, vt reditum maturaret, admonebat. [11] Romam itaque tendens, in itinere Casinense Monaste-

† Glab.

Salerni & Neapoli res ordinat. Itemque Capuae.

6) *Troia*, caput Comitatus Gentis Sangriae.

7) HEPIDAN. ad A. 1023. *Henricus Imperator cum graui manu Apuliam ingressus, a Beneuentanis gratulantibus honorifice ac magnifice suscipitur. Troiam, Capuam, Salernum, Neapolim, vrbes Imperii sui, ad Graecos deficientes, ad deditionem coëgit.*

8) LEO OSTIENS. Lib. II. cap. 39. *Exhilaratus de captione Principis Imperator, & aggregatis vniuersis suis Magnatibus, tam Italicis, quam Vltramontanis, in eorum Iudicium illum inducit &c.*

9) LEO OSTIENS. Lib. II. cap. 41.

10) HERM. CONTR. ad A. 1022. *Henricus Normannis quibusdam, qui tempore eius* (in Apulia) *confluxerant, quoddam, vt fertur, illis in partibus territorium concessit.* Add. BVRCH. de casibus S. Galli cap. 4. p. 66. & LEO OSTIENS. Lib. II. cap. 41.

11) LEO OSTIENS. Lib. II. cap. 41. *Quoniam propter aestiuum tempus, gens continuis assueta frigoribus, in partibus istis, diu remorari non poterat, reditum in dies singulos maturabat.*

nasterium, vna cum Benedicto Papa inuisit, ibique in locum Atenulphi Theobaldus Abbas electus est:[12] sancivitque Imperator, vt in posterum Abbas a Romano Pontifice consecraretur.[13] Visuntur adhuc Casini magnifica dona, quae tum Henricus S. Benedicto obtulit.[14] Romae etiam multis Proceres, vt quam amicissimos faceret Germanico Imperio, beneficiis cumulauit.[15] Caeterum quae hic notauimus Normannorum in Apulia primordia, successu temporis, magnum in rebus Italiae momentum habuerunt. Profectos constat e Normannis, qui in Armorica, Galliae prouincia, consederant. Acceptis nunc beneficio Principali agris laeti, Graecos magis magisque exturbarunt, atque aliquandiu in fide Imperii Germanici perstiterunt. Postea Principes illorum Romanis Pontificibus aduersus Imperatores praesidio fuere, Ducatumque Apuliae & Calabriae obtinuerunt. Tandem Rogerius Comes, occupata insula Sicilia, florentissimum regnum condidit.

HENRICVS II.

Liberalitas Romae.

Incrementa Normannorum in Italia.

XXXII.

Reditus Imperatoris.

In reditu Imperator magnam partem exercitus mortalitate amisit. Ipse hyemem in Saxonia sua exegit. Sequente anno regiones ad Rhenum lustrauit: memorantque Annales celebratam Aquisgrani, ipso praesente, Synodum:[1] nec non

V 2 collo-

12) LEO OSTIENS. Lib II. cap. 42.

13) Vid. ANGELVS de NVCE ad h. l. not. 3. vbi rem ex Bulla Pontificis, & ipso Diplomate Imperatoris confirmat.

14) Donaria haec recenset LEO OSTIENS. ib. cap. 43. Add. GATTVLA in Hist Abbatiae Casin. T. I. p. 161. seq.

15) CHRONOGR. SAXO ad A. 1022. *Romanae Sedis apicem accelerauit, vbi aliquamdiu moratus, Regni illius Optimatibus pace gratiaque sui redimitis, niuosa Alpium cacumina, veloci transgreditur cursu.*

§. XXXII. 1. CHRONOGR. SAXO ad Annum 1022. *Magnumque Synodale colloquium, confluentibus undique diuersarum regionum Episcopis, in partibus habuit Occidentalibus.* Sunt qui Concilium Seligenstadii

HENRICVS II.

Colloquium cum Roberto Rege.

colloquium, cum Roberto, Rege Franciae Occidentalis, ad Euosium, ditionis Lucemburgensis oppidum. Certatum hic comitate & officiis, actumque est de grauissimis rebus Imperii, & Regni, adiectumque, vt ambo Pontificem conuenirent Ticini, ac coram eo confirmarent pacta. [2] Sed haec consilia, quaecunque demum fuerint, morbus primum Imperatoris, & deinceps mors intercepit.

Henrici obitus.

Obiit Henricus III. Id. Iul. Anno MXXIV. in villa Gruna, anno aetatis LII. Sepultus est Bambergae in primario templo S. Petri & Pauli: atque postmodum ab Eugenio Papa in numerum Sanctorum relatus. [3]

Henricus & Cunegundis in Coelitum numerum relati.

Vidua Cunegundis Anniuersario Imperatoris, in monasterio Confugiensi, quod haud procul Cassellis, ad Fuldam amnem, ipsa fundauerat, sacrum velamen sumsit, vitamque Anno MXXXIII. finiit. Corpus Bambergae prope maritum conditum: vbi vtriusque monumentum pari religione, (nam & Cunegundi coelestes honores Innocentius III. decreuit, [4]) colitur.

XXXIII.

Status Imperii sub Henrico.

Virtutes Henrici & Cunegundis, summamque praesertim in maxima fortuna continentiam [1] extulerunt, qui

stadii habitum, quod extat T. IX. Conc. p. 544. hic intelligi velint. Sed id tantum Prouinciale fuit: neque in Actis eius mentio fit Imperatoris. Itaque potius denotari videtur Synodus Aquisgranensis, cuius meminit SIGEBERTVS, & CHRONICON CAMERACENSE: atque ex illo LABB. T. IX. p. 853.

2) SIGEB. GEMBL. ad A. 1023. *Henricus Imperator, & Robertus, Rex Francorum, super Carum fluuium, apud Euosium conueniunt, de statu Ecclesiae, Regni, & Imperii tractaturi, & condicto, vt super his confirmandis etiam Papam Romanum simul ambo Papiae conuenirent. Imperator & Regem, & suos multos etiam, qui tantum ad demirandam Imperatoriam Maiestatem conuenerant, tanta liberalitate donauit, vt opibus Regum Persarum, aut Arabum posset comparari Imperatoris munificentia.*

3) Vid. Vitam S. Henrici, qualem Commentariis suis illustratam dedit P. SOLIERIVS Iul. T. III. p. 711. sq.

4) Vit. S. Cunegund. ad D. 3. Mart. in ACTIS ANTV. p. 266.

§. XXXIII. 1) De connubio illorum virgineo SOLIERIVS in Comm. prae-

HENRICVS II.

qui adſcriptos Superum Faſtis, propriis laudibus proſecuti ſunt. Nobis hic ſuffecerit Henrici egregium in adminiſtranda Republica animum, fortitudinem, ſolertiam, laudaſſe. Nam & dignitatem Imperii adverſus exteros tuitus eſt, &, domi, quod non minus difficile,[2] praepotentes Principes in officio continuit. Aſſiduus fuit in obeundis Imperii prouinciis. Quod inſtitutum, per ſe ad incolumitatem regionum, & excitanda prouincialium ſtudia ſalutare, Germanicis Imperatoribus ipſa quondam adminiſtrandi Imperii ratio, quae praeſentem fere Principem requirebat, videtur commendaſſe. Saxoniam prae reliquis dilexit.[3] Nec minus illa Imperio eius gauiſa eſt. Iam omnis tum regio inter Salam, Muldam, & Albim exculta vrbibus erat, inque iis & Lipſiae iam nomen apud Ditmarum occurrit.[4] In eccleſias & monaſteria effuſe liberalis fuit Henricus, certante interdum cum pietate Principis cupiditate Praeſulum.[5] Fuere autem plures egregii ſub eo Epiſcopi, & de Eccleſia optime meriti. Alii Paganiſmi reliquias in Dioeceſi abolere,[6] alii attributa ſibi Sacerdotum Collegia[7] ad Canonicam diſciplinam exigere: alii ſcholas & liberalium

Inprimis Saxoniae.

Epiſcopi clari ſub illo.

praeuio ad Vit. S. Henrici §. 75. ſequ. (Iul. T. III. p. 727.)

2) LIV. II. 43. *Excellentibus ingeniis citius defuerit ars, qua ciuem regant, quam qua hoſtem ſuperent.*

3) DITM. p. 378. de Henrico Imperatore, ex Italia reuertente: *Poſt haec per Franciam Orientalem iter faciens, Saxoniam, vt ſaepe profeſſus eſt, ſecuritatis, ac totius vbertatis quaſi florigeram Paradiſi aulam, reuiſit.*

4) DITM. p. 308. 406. & alibi paſſim.

5) Exempla reperimus in vita Meinwerci, Epiſcopi Paderbornenſis, c. 78. 83.

6) De Vicberto, Epiſcopo Merſburgenſi, ſupr. §. 9. De Vnwano, Archiepiſcopo Hamburgenſi AD. BREMENS. Lib. II. cap. 33. *Ille omnes ritus Paganicos, quorum adhuc ſuperſtitio viguit, in hac regione praecepit funditus amoueri, ita vt ex lucis, quos noſtri paludicolae ſtulta frequentabant reuerentia, faceret eccleſias duodecim renouari.*

7) De Vnwano AD. BREM. Lib. II. cap. 33. *Primus omnium Congregationes*

HENRICVS II.

um artium ſtudia fouere. [8] Eruditionis laude ipſi inprimis inſignes fuerunt, Ludolphus Treuirenſis, & Burcardus Vormatienſis, cuius collectione Canonum Eccleſia diu vſa eſt. Ditmarus Mersburgenſis res ſui temporis ſcriptas reliquit. Adelboldus quoque Vltraiectinus nonnulla ſcripſit: [9] & Thieddago, Epiſcopo Pragenſi, adeo ex peritia medicinae fama quaeſita. [10] Caeterum Eccleſiae opes eo tempore haud parum conducebant ad vim regni. Quippe non modo Epiſcopi, & Abbates reuerentia ſacrorum Duces & Comites in officio continebant; ſed nec caſtra ſequi, & clientes in bellum educere alienum a ſanctimonia muneris cenſebatur. Monaſticae diſciplinae ſeuerus cuſtos fuit Henricus, quod Fuldenſes [11] & Corbeienſes [12] experti ſunt. Sunt qui & ipſum aliquando

tiones ad Canonicam traxit regulam, quae antea quidem mixta ex monachis, & Canonicis, conuerſatione degebant.

8) Scholam Paderbornenſem ita deſcribit AVCT. VITAE S. MEINWERCI n. 52. *Studiorum multiplicia ſub eo floruerunt exercitia: & bonae indolis iuuenes, & pueri ſtrenue inſtituebantur norma Regulari, proficientes haud ſegniter in clauſtrali diſciplina, omniumque litterarum doctrina. Claruit hoc ſub ipſius ſororio, Imado Epiſcopo, ſub quo in Patberbrunnenſi Eccleſia publica floruerunt ſtudia: quando ibi Muſici fuerunt & Dialectici, enituerunt Rhetorici, clarique Grammatici: quando magiſtri artium exercebant triuium, quibus omne ſtudium erat circa quadruuium: vbi Mathematici claruerunt & Aſtronomici, habebantur Phyſici, atque Geometrici: viguit Horatius, magnus & Virgilius, Criſpus ac Salluſtius, & Vrbanus Statius. Ludusque fuit omnibus inſudare verſibus, & dictaminibus, iucundisque cantibus. Quorum in ſcriptum & pictura iugis inſtantia claret multipliciter hodierna experientia, dum ſtudium nobilium Clericorum vſu perpenditur vtillum librorum.*

9) SIGEBERTVS auctor eſt illum Vitam S. Henrici literis mandaſſe. Falſo autem hoc nomine inſcribitur vita, quae in CANISII Lect. Antiqu. T. III. l. II. edita eſt, vti iam BASNAGIVS obſeruauit. Sed forte nec fragmentum vitae S. Henrici, quod LEIBNITIVS edidit, (T. I. Script. Reu. Brunſu.) Adelboldo vindicari poteſt.

10) DITM. p. 414. *Hic de nouo educatus Corbeia medicinali arte optime eſt inſtructus.* IDEM alibi eandem peritiam laudat in S. Beruardo, Epiſcopo Hildesheimenſi.

11) Confer. MABILLONIVS in Annal. ad An. 1012. p. 252. num. 88. ſq.

12) Vid. iterum MABILL. l. c.

do captum amore vitae ſolitariae de abdicando Imperio cogitaſſe ſcribunt.[13] Neque inſolens aliquando fuit Reges, Principesque a Solio ad Monaſterium tranſire. Sed Henrico maiori gloriae cedit, quod aequi bonique tramitem in medio negotiorum ſtrepitu ſeruauit. Prolata etiam eſt ſub eius Imperio a Germanis ad Paganos Chriſtiana religio. Guntherus Leuticis eam annunciare coepit.[14] S. Bruno, genere Saxo, e nobili Comitum Querfurtenſium ſtirpe, conſilium cepit inſiſtendi tentatis apud Pruſſos a S. Adalberto laboribus. Itaque Mersburgi, Henrico Rege propoſitum laudante, a Thagenone, Metropolitano Magdeburgenſi, Epiſcopus ordinatus, & a Papa inſuper pallio donatus, in illam Prouinciam ſe contulit.[15] Boleslaus quoque Polonorum Rex liberaliter multa ſubminiſtrauit.[16] Sed a Paganis vna cum XVIII. Comitibus ſuis occiſus eſt.[17]

HENRICVS II.

S. Bruno Pruſſis conuertendis operam dat.

13) MARCVS ANTONIVS PLACENTINVS in centum Heroibus Benedictinis, Henricum Imp. producit inter Monachos. Quem ſecutus VALERIANVS CASTILIONEVS in not. ad EMAN. THESAVRVM de Regn. Italiae not. 581. p. 710. & 584. p. 712. alumnis Regulae S. Benedicti Caſinenſis illum adſcribit.

14) DITM. p. 413. inter res A. 1017. *Interim Guntherus conuerſus, cauſa praedicandi, Luitieos adiuit.*

15) DITMARVS, cognatus, & condiſcipulus quondam S. Brunonis, ita de illo ſcribit p. 398. *Regnante ſecundo Heinrico, Merſeburg veniens, benedictionem Epiſcopalem, cum licentia Domini Papae, ab eo petiit, & eius iuſſione ab Archiepiſcopo Thagenone conſecrationem, & quod ipſe huc detulit, Pallium, ibidem ſuſcepit.*

16) IDEM l. c. *Multa a Bolizlao, caeterisque diuitibus bona ſuſcepit, quae mox Eccleſiis ac familiaribus ſuis, nil ſibi retinendo, diuiſit.*

17) ID. l. c. Conf. commentarius praeuius ad Vit. S. Brunonis in Act. SS. Antu. ad D. 14. Febr.

LIBER

LIBER QVINTVS.

CONRADVS II.
(SALICVS.)

I. Interregnum post obitum Henrici.

Ab excessu Henrici diuersa Principum studia,[1] prout quisque vel suae, vel alienae ambitioni obsequitur. Sed tempestiue comitia, eligendi Regis causa, vniversae Germaniae [2] indicta sunt, commodo ad Rhenum inter Moguntiam, & Vormatiam loco. [3] Conuenere magno Comitatu Episcopi, & Duces, penes quos omnes eligendi Regis arbitrium antiquitus fuit: [4] ac castris ad vtramque Rheni ripam positis consedere. Octo Duces, qui tum Germaniae populos in potestate habuerunt, commemorat horum temporum Scriptor. † Conradus Iunior Fran-

† Vippo p. 424.

§. I. 1) De Comitiis Saxonum, Werlae habitis AVCTOR Vit. S. Meinwerci cap. 91. *Post obitum igitur Imperatoris, soli Saxones in quodam castello, quod Werla dicitur, conuenerunt: & tam de Regis electione, quam aliarum rerum necessaria dispositione, tractare coeperunt.*

2) VIPPO, p. 424. *Supra memorati Episcopi, & Duces, caeterique potentes, haud aliter periculum minitans melius ac citius euadere rati, summa ope, & industria memorabili vtebantur, ne Respublica diutius sine Rege nutaret. Priuata consilia, & animos singulorum, cui quisquam consentiret, cui dissentiret, aut quem sibi dominum optaret, epistolarum, & legatorum commoditas conferebat. - - Tandem condicta est dies, notatusque locus: fit publicus conuentus, qualem me vidisse antea non memini.*

3) Locum ita designat VIPPO, p. 424. *Inter Moguntiae confinia, & Wormatiae, locus est amplitudine, planitiei causa, multitudinis maximae receptibilis: ex insularum secessu ad secretas res tractandas tutus, & habilis.* HERMANNVS CONTR. conventum hunc ad villam KAMBAM habitum scribit.

4) VIPPO, p. 424. *Ibi dum conuenissent cuncti Primates, &, vt ita dicam, vires & viscera Regni, eis & circa Rhenum castra locabant. Qui cum Galliam a Germania dirimat, ex parte Germaniae Saxones cum sibi adiacentibus Slauis, Franci Orientales, Norici, Alemanni conuenere. De Gallia vero Franci,*

CONRADVS II.

Franciae Ducatum: Fridericus Lotharingiam Superiorem obtinebat, Inferiorem Gozelo, Gotfridi, qui ſub Henrico II. floruit, frater. Bernhardus II. Saxoniae praeerat: Henricus Lucemburgius Bauariae: Adalbero Carinthiae. Sueuiam Erneſtus II. regebat: Othelricus Bohemiam. Vbi in commune conſultari coeptum eſt, facile quidem apparuit, ad Francos inclinare fortunam Regni. Sed duo Conradi, alter Salicus, alter Iunior, Francorum Dux,† animos ſuſpenſos tenebant. [5] Vtrique genus a Conrado Duce, & Luitgardi, Ottonis M. filia. Salicus patrem habuerat Henricum, Francorum Ducem, matrem Adelheidin, Gerhardi, & Adalberti, clariſſimorum in Alſatia Comitum, ſororem. Maturus iam annis, belloque ſpectatus & conſilio, fama virtutis magis, quam opibus [6] nitebatur. Henrico Imperatori aliquando inviſus, [7] ſed iterum conciliatus, vtramque fortunam ani-

Comitia eligendi Regis.

Duo Conradi de Regno aemulantur.

† Supr. IV. 29.

X mi

ci, quo ſupra Rhenum habitant, Ribuarii, Lutharingi coadunati ſunt.

5) Conſultationem de eligendo Rege ita deſcribit WIPPO, p. 424. *Cum diu certaretur, quis regnare deberet, cumque alium aetas vel nimis immatura, vel vltra modum prouecta, alium virtus inexplorata, quosdam inſolentiae cauſa manifeſta recuſaret, inter multos electi pauci ſunt, & de paucis admodum duo ſequeſtrati ſunt, in quibus examen extremum ſummorum virorum, ſumma diligentia diu deliberatum, in vnitatis puncto tandem quieuit.*

6) Modicas opes Conrado, cum Rex eligeretur, fuiſſe, ipſe innuit WIPPO p. 426. *Credo quidem huic electioni coeleſtium virtutum fauorem non deeſſe, cum inter ſingularis potentiae viros, tot Duces, & Marchiones absque inuidia, ſine controuerſia is eligeretur, qui genere & virtute, atque in propriis bonis nemine eſſet inferior, tamen de Republica, ad comparationem talium virorum parum beneficii, & poteſtatis habuit.* Id exprobrat Wilhelmus, Dux Aquitaniae, in Epiſt. ad Leonem, Epiſcopum Vercellenſem, (inter Epiſtolas FVLBERTI CARNOTENSIS, n. 6[illegible].) *Non parum miror de te, qui & multum praeteritorum habes memoriam, & non minus futurorum putaris habere prouidentiam, quod illius Cunonis partibus conſenſiſti, qui nec in ſua terra aliquid tibi vnquam donauit, neque poſſe donare fertur.*

7) Ita Aribo, Archiepiſcopus, in orat. ad Regem Conradum, apud WIPPONEM, p. 424. *Non ſine cauſa te Deus exercuit: fructum ſequentem in te dulcificauit: permiſit, te Anteceſſoris tui, Imperatoris Henrici, gratiam perdere, & eamdem iterum recipere, vt ſcias* modo

CONRADVS II. mi magiſtram habuerat. Nonnulli etiam ab ipſo Henrico Principibus, tamquam digniſſimum Imperio, commendatum ſcribunt. [8] Sed qui maxime illi cupiebant, Iunioris tamen opes, & Fridericum, Lotharingiae Ducem, vitricum eius, metuebant. Vbi illuxit dies electioni deſtinata, iamque omnium animi conuerſi eſſent in duos Conrados, Salicus, confiſus ſuorum ſtudiis, vt patruelem etiam a vi & tumultu auerteret, [9] ſevocato illo, *vides*, inquit, *inter nos fluctuare Procerum iudicia: Ne committamus, quaeſo, vt noſtra diſcordia Regni decus a Francorum nomine repellatur: Quod tibi ſi detulerint Principes, habebis me vti ſanguine, ita fide proximum; ſi me regnare voluerint, eundem de te mihi animum polliceor.* Id poſtquam alter ſpopondit, mutuo ſe complexi ſunt. Hoc ſignum concordiae omnibus fuit.

Salicus eligitur. Tum primus Aribo, Moguntinus Archiepiſcopus, Conradum Salicum Regem appellat: hunc reliqui ſacrorum Antiſtites ordine ſequuntur. Inter Seculares primus ſententiam rogatus, Conradus Iunior, Francorum Dux, ipſe quoque Salico Regnum defert: Eique reliquorum populorum Principes ſuffragantur, acclamante omni exer-

modo bis miſereri, qui perdunt gratiam tuam: paſſus es iniurias, vt nunc ſcias miſereri ſuſtinentibus iniurias: pietas diuina noluit te eſſe ſine diſciplina, vt poſt coeleſte magiſterium Chriſtianum caperes imperium.

8) HVGO FLAVINIACENSIS in Vit. S. Richardi, Abbatis Virdunenſis, cap. 5. §. 45. (ad d. 14. Iun. Act. SS.) *Henricus, quia erat absque filiis, videns, quia ad regni faſtigium plures Duces, & Comites adſpirabant, elegit Conradum, aliquando ſibi ſuſpectum, ſed ſtrenuum.* Conf. LEO OSTIENS. Lib.II. cap. 58. OTTO FRISING. Lib. IV. cap. 28. Certum tamen eſt, Conradum, neque ex voluntate Henrici, neque iure ſanguinis, ſed Principum electione, regnum obtinuiſſe.

9) Iſtud Conradi conſilium ita prodit WIPPO p. 425. *Aeſtimo, quod dignum ſit dicere, qua ratione maior Chuno ſuum prodidit ingenium, non quod ipſe deſperaret Rex fieri, (unde iam nutum Dei, Principum cordibus inſpiratum, percepit,) ſed vt cognati animum, quo minus in dubiis rebus perturbaretur, confirmaret. Hac igitur praeſtantiſſima oratione illum alloquitur &c.*

exercitu. [10] Adfuit in eo conuentu Cunegundis Augusta: & insignia Regni, quae moriens maritus ipsi reliquerat, nouo Regi tradidit. [11] Pilegrinus quidem, Archiepiscopus Coloniensis, & Fridericus, Lotharingiae Dux, infensis animis discedunt e castris, nescio quid hostile spirantes. Mox tamen ad comitatum reuerterunt. †

CONRADVS II.

Insignia Imperii a Cunegundi accipit.

† Wippo p. 426.

II.

Interea Conradus Moguntiae, ab Aribone Archiepiscopo, in Festo natiuitatis B. V. Mariae † coronatus est. Cum ad sacram aedem procederet, ac calamitosi quidam opem eius implorarent, alios ipse statim bono esse animo iubet, alios amicis audiendos commendat, in ipso auspicio Principatus memor, Regium esse, succurrere afflictis. Vxor Gisila ne vna coronaretur intercedebant, [1] qui matri-

Moguntiae coronatur.

† d. 8. Sept.

X 2

10) Ordinem ipsum in suffragiis ferendis ita describit WIPPO p. 426. *Archiepiscopus Moguntinensis, cuius sententia ante alios accipienda fuit, rogatus a populo, quid sibi videretur, abundanti corde, hilari voce laudauit, & elegit maioris aetatis Chunonem suum in Dominum & Regem, atque rectorem & defensorem patriae. Hanc sententiam caeteri Archiepiscopi, & reliqui sacrorum ordinum viri, indubitanter sequebantur. Iunior Chuno paululum cum Lotharingis placitans, statim reuersus, maximo fauore illum ad Dominum & Regem elegit: Quem Rex manu apprehendens, fecit illum consedere sibi. Tunc singuli de singulis regnis eadem verba electionis saepissime repetebant: fit clamor populi: omnes unanimiter in Regis electione Principibus consentiebant: omnes maiorem Chunonem desiderabant: in illo persistebant: ipsum cunctis dominantibus, nihil haesitando praeposuerunt: eundemque Regali potentia dignissimum iudicabant: vt nulla mora consecrationis illius fieret, postulabant.*

11) WIPPO p. 426. *Imperatrix Cunigunda regalia insignia, quae sibi Imperator Henricus reliquerat, Conrado gratanter obtulit, & ad regnandum, quantum sexus huius auctoritas est, corroborauit.* IDEM paulo ante p. 423. laudauerat curam Reipublicae, quam Cunegundis, durante interregno gessit. *Imperatrix Cunigunda, quamquam maritali vigore destituta foret, tamen consilio fratrum suorum, Theoderici, Metensis Episcopi, & Hezilonis, Ducis Bauariae, pro viribus Reipublicae succurrebat, & ad restaurandum Imperium, aciem ingenii mentisque, solicita consideratione direxit.*

§. II. 1) WIPPO p. 428. *Quorumdam hominum inuidia, quae saepe ab inferioribus fumigat ad superiores, per aliquot dies a consecratione sua impediebatur.* Disertius rem explicat GLABER Histor. Lib. IV. p. 39. *Cum enim diu multumque de constituendo Regni Principe, ac praecipue inter Praesules, tractatum fuisset, visum est eis, ipsum Chounradum debere eligere, nisi quod unum in-* [illegible] *tererat,*

CONRADUS II.

Giſila Regina coronatur Coloniae.

† Kal. Oct.

Elogium Giſilae.

trimonium Regis, propter conſanguinitatem [2] vitio non carere arguebant. Mox tamen † ſublato hoc ſcrupulo, Coloniae Reginam vnxit Pilegrinus Archiepiſcopus: [3] idque veluti pignus redintegratae inter Regem & Archiepiſcopum concordiae fuit. [4] Inclytum per omne Conradi regnum, Giſilae Auguſtae nomen eſt. Patre nata Hermanno, Sueuiae Duce, ex Gerberga, Conradi Burgundiae Regis filia, Carolingos, aeque ac Saxonicos Principes, inter proauos numerabat. In primo aetatis flore Brunoni, Regiae ſtirpis in Saxonia iuueni, qui condita vrbe Brunsuiga, clariſſimam nominis ſui memoriam poſteris reliquit, elocata fuerat. Secundum nupſerat Erneſto, Luitpoldi, Marchionis Auſtriae, filio, cui Henricus Imperator, favens

tereret, propter quod Henricus etiam illum valde exoſum habuerat. Habebat enim coniugem, quae illi erat affinis, quam etiam primitus cognatus quidam ipſius duxerat. Praeterea innotuerunt ei Pontifices, quid potiſſimum vellet, aut tale coniugium, quod maniſeſtiſſime ſacrae auctoritati nimium repugnabat, tenere: ſeu eo demiſſo, coronam Imperii ſumere.

2) Cognatio inter Conradum Salicum, & Giſilam, ex hoc ſchemate apparet:

Henricus I. Rex.

Otto M.	Gerberga. Mar. Ludouicus Vltramarinus, Fr. Rex.
Luitgardis. Mar. Conradus Dux.	Mathildis. Mar. Conradus, R. Burgund.
Otto Dux.	Gerberga. Mar. Hermannus, Sueu. Dux.
Henricus Dux.	Giſila Auguſta.
Conradus Salicus.	

Conſtat autem Seculo XI. impedimenta connubiorum ex conſanguinitate, latiſſime extenſa fuiſſe.

3) WIPPO, l. c. *Tamen virilis probitas in foemina vicit, & ex conſenſu, & petitione Principum conſecrata, neceſſaria comes Regem ſequebatur, prioris culpae impetrabat a Rege, vt ſibi liceret in Eccleſia Colonienſi Reginam conſecrare.*

4) WIPPO, p. 427. *Archiepiſcopus Pilegrinus, quaſi pro emendatione*

5) Id colligas ex DITMARO p. 415. Locum ſupra adduxi.

vens huic matrimonio, Ducatum Sueuiae dedit. † Illi Erneſtum, Gentis ſuae iam nunc Ducem, & Hermannum, qui paulo poſt fratri in Ducatu ſurrogatus fuit, pepererat. Tertium cum Conrado connubium Henricus Imperator initio non ſatis probauerat. [5] Sed illud fortuna Regni, nec minus Giſila ipſa virtutibus ſuis illuſtrauit, in partem curarum venire, & militares animos comitate & conſilio temperare gnara. [6]

CONRADVS II.

† Supr. IV. 29.

III.

Poſt ordinatas Aquisgrani res Lotharingiae profe-ctus in Saxoniam, prouincialibus patriam legem, cuius retinendae ſemper fuerunt ſtudioſiſſimi, [1] confirmauit, ac Slauorum tributa recepit. [2] Bauariam, Franciam, & Sueviam pari celeritate luſtrauit, quod ad ſecuritatem Regni multum profuit. Quippe Robertus, Franciae Occidentalis Rex, ſolicitare ſtatum Lotharingiae coeperat: vbi conſpirare ad obſequiá noui Regis Germaniam vidit, ſeſe continuit. [3] Papa etiam Iohannes XIX. Conradum vt in Italiam quam primum veniret, hortabatur. [4] Namque illic, poſt Henrici Auguſti obitum, multi res nouas moliri:

Conradus Germaniae prouincias obit.

Saxonum leges confirmat.

Robertus, Rex, inſidiatur Lotharingiae.

Itali rebus nouis ſtudent.

Tici-

6) Giſilam ita laudat WIPPO, p. 428. *Cum tantae nobilitatis eſſet, & formae decentiſſimae, minimae extollentiae fuit: In Dei ſeruitio timorata: in orationibus, & eleemoſynis aſſidua: & hoc vt ſecretius potuit: attendens illud Euangelicum, ne iuſtitiam ſuam faceret coram hominibus. Erat enim liberalis ingenii, illuſtris ſolertiae, avida gloriae, non laudis, pudoris amans, foeminei laboris patiens, incaſſum minime profuſa, in rebus honeſtis & utilibus abunde larga, diues in praediis, ſummos honores bene tractare perita.*

§. III. 1) WIPPO p. 430. *Reverſus Rex a Ripuariis, ad Saxoniam venit. Ibi legem crudeliſſimam Saxonum, ſecundum voluntatem eorum, conſtanti auctoritate roborauit.* Cur WIPPO crudeliſſimam legem appellet, oſtendit STRVVIVS in Hiſt. Iur. c. 17. §. 17.

2) WIPPO p. 430. *Deinde a Barbaris, qui Saxoniam attingunt, tributa exigens, omne debitum fiſcale recepit.*

3) SIGEBERT. ad An. 1026. *Robertus, Rex Francorum, ad inuadendam Lotharingiam animum intendit: ſed cito ab hoc conatu deſtitit, Gothelone Duce, qui propter priuatum odium, grauabat Regnum Conradi.*

4) GLABER. Lib. IV. de Iohanne Papa: *Qui ſtatim lubentiſſime annuit, mandans inſuper, vt quantocius ſuſcepto Germaniae ſceptro Romam pergeret, ſuſcepturus totius Italiae coronam.*

CONRADVS II.

Wilhelmo Pictauienfi Regnum offerunt.

Ticinenfes Palatium Regium deftruere: [5] pars Procerum Roberto Regi, cumque ipfe abnueret, filio eius Hugoni, regnum offerre. Vbi & pro filio recufat, Wilhelmum, Magnum cognomine, Comitem Pictauorum, & Aquitaniae Ducem, adeunt. Is opibus in Gallia potens, nec minus fama per Italiam clarus, in matrimonio habebat Agnetem, Wilhelmi illius, qui Henrico Imperatori tantopere in Burgundis aduerfatus fuerat, filiam, neptemque adeo Adalberti, Italiae Regis. Illum, vt filium in Italiam mitteret, folicitant, Regnum, Imperiumque ipfum pollicentur. † Fuiffe in his partibus Adalbertum Marchionem, ex gente Ateftina, [6] & Manfredum, Marchionem Sufatenfem, fratremque eius Ardericum, Epifcopum Aftenfem † reperio. Wilhelmus, quum hinc praeftringeret oculos Regiae dignitatis fplendor, inde Regum priorum exempla mobilitatis Italorum admonerent, refpondet, non fe defore votis illorum, modo vnanimes agere conftiterit. Interea cum Roberto, Franciae Rege agit, vt Fridericum, Lotharingiae Ducem, & quotquot alios reperiret parum amice affectos in Con-

† v. not. inf.

† ibid.

5) WIPPO p. 430. *Erat in ciuitate Papienfi palatium a Theoderico Rege quondam miro opere conditum, ac poftea ab Imperatore Ottone tertio nimis adornatum. Cognito autem obitu Imperatoris Henrici, anteceſſoris Chounradi Regis, vt mos eſt hominum femper in nouis rebus intemperanter fe habere, ſtatim Papienfes inconfulto ad imbellem aulam ruentes. Aufibus illicitis fregerunt moenia Regis: totumque palatium, vsque ad imum fundamenti lapidem, eruebant, ne quisquam Regum vlterius infra ciuitatem illam palatium ponere decreuiſſet.* IDEM defcribit, qua ratione difceptata haec caufa fuerit. *Ex qua audacia diu magna controuerfia inter regem, & Papienfes habita eſt. Dicebant Papienfes: Quem offendimus? Imperatori noſtro fidem & honorem, vsque ad terminum vitae ſuae, feruauimus, quo defuncto, cum nullum Regem haberemus, Regis noſtri domum deſtruxiſſe, non iure accufabimur. E contrario Rex, fcio, inquit, quod domum Regis veſtri non deſtruxiſtis, cum eo tempore nullum haberetis: fed domum Regalem fcidiſſe, non valetis inficiari: Si Rex periit, Regnum remanfit: ficut nauis remanet, cuius gubernator cadit: aedes publicae fuerant, non priuatae: iuris erant alieni, non veſtri.*

6) Id probat MVRATORIVS in Antiqu. Eftenf. p. 117.

CONRADUS II.

Conradum Regem, acrius concitaret, ſibique foedere deuinciret. Praeterea ne quid temere auderet, ipſe in Italiam proficiſci, † & praeſens explorare habitum animorum ſtatuit. Interea Heribertus, Archiepiſcopus Mediolani, praeuertere cupiens nouos Italiae caſus, cum praeterea videret, qui Regem extra Germaniam petendum ſuadebant popularibus, pleroſque Eccleſiae opibus potiſſimum inſidiari, † cum aliis quibusdam Proceribus vltra Alpes iter agit: atque Conſtantiae, in qua vrbe Conradus dies feſtos Pentecoſtes celebrabat, Regem ſalutat, iurataque fide, vt quam primum in Italiam moueret, Regnumque praeſens capeſſeret, hortatur.[7] Wilhelmus quoque, perſpecta conditione rerum, maluit rebus ſuis domi tuto frui, quam Regii tituli cupiditate, ſe & ſua omnia mobilitati factionum permittere. †

† v. not. in f.

Archiepiſcopus Mediolanenſis Conrado ſe applicat.

† Ibid.

† Ibid.

IV.

Conradi cum Rudolpho Rege pacta.

Tiguri Conradus iterum Proceres aliquot Italicos obuiam habuit. Sed ante omnia Rudolpho, Regi Burgundorum, qui ſolutum ſe pactis, cum Imperatore Henrico initis, credebat, inſiſtendum putauit. Itaque Baſileam vrbem vi occupat,[1] Giſilae tamen Reginae interuentu, ad amicam compoſitionem cauſa dilata eſt. Equidem periculum erat, ne Italicam expeditionem morarentur ciuiles per Germaniam motus. Nam & priuignus Regis

7) WIPPO p. 430. *Ibi Archiepiſcopus Mediolanenſis, Heribertus, cum caeteris Optimatibus Italicis, Regi occurrebat, & effectus eſt ſuus, fidemque ſibi fecit per ſacramentorum, & obſidum pignus, vt, quando veniret cum exercitu ad ſubiiciendam Italiam, ipſe eum reciperet, & cum omnibus ſuis ad dominum & Regem publice laudaret, ſtatimque coronaret. Similiter reliqui Longobardi fecerunt.*

§. IV. 1) WIPPO p. 431. *Conradus autem Rex magis augere, quam minuere Regnum intentus, Anteceſſoris ſui labores metere volens, Baſileam ſibi ſubiugauit, vt animaduerteret, an Rex Rudolphus promiſſa attenderet. Quos, poſtea*

CONRADVS II.

Regis, Ernestus, Sueuiae Dux, multa turbabat,[2] inter cuius asseclas Guelphus Comes,[3] potens per Sueuiam & Bauariam opibus, praecipue nominatur. Neque iam Conradus Francorum Dux, & Fridericus Lotharingius sua in Regem odia dissimulabant. Rex autem Ernestum, certus, illo absente quieturos reliquos, secum in Italiam abducit.

Henricus Rex designatur.

Filium Henricum, octo circiter natum annos, iamque Regem designatum,[4] commendat Brunoni, Episcopo Augustano, fratri Imperatoris Henrici, cui tam propter genus, & cognationem cum Gisila Regina, quam ob egregiam fidem, & in Republica auctoritatem, plurimum tribuebat.[5]

Profectio Conradi in Italiam.

Profectus est ineunte An. MXXVI. primaque venientem excepit Verona.[6]

Comi colloquitur cum Iohanne Papa.

In oppido Como obuiam habuit, vti conuenerat, Papam Iohannem.[7] Pascha Vercellis, cuius ciuitatis Episcopus, Leo, insigni in Conradum studio erat, celebrauit. Papiensibus infensus, ob destructum palatium, agros eorum, arcesque populatur. Vrbem ipsam enim situs & moenia tutabantur.

ea Gisela Regina, filia sororis ipsius Regis, Rudolphi, bene pacificauit.

2) HERM. CONTR. ad An. 1025. *Rebellio & discordia multa contra Conradum Regem a patruele eius, Conrado, & Ernesto, Duce Alemanniae, priuigno eius, Welph quoque Sueuigena Comite, & aliis pluribus facta.* HEPID. ad An. 1131. seu potius 1025. *Saeuae contentionis fomes exarsit in sacrosancto die Paschali, apud Vindelicam Augustam, inter Chounradum Regem, & patruelem eius, Chounradum, cui etiam Ernest, consobrinus eius, dux Alamanniae, & Welfhardus Comes, postea confoederati, simul Regi rebellare sunt ausi. Sed hoc temere inceptum, Deo prohibente, non habuit effectum.*

3) Hic est Guelphus, quem II. numerant, qui gentilitias tabulas eius stirpis condiderunt.

4) WIP. p. 432. ad An. 1026. *Chunradus Rex Consilio, & petitione principum Regni, filium suum, Henricum puerum, Regem post se designauit, illumque Brunoni, Augustensis Ecclesiae Episcopo in tutelam commendauit.*

5) HERM. CONTR. ad An. 1029. eum vocat *summum Symmistam* Conradi.

6) WIPPO p. 432. *Rex ingressus Italiam per Veronam, inter Mediolanum & Papiam Vercellas venit, ibique S. Pascha celebrauit.*

7) GLAB. Lib. IV. p. 39. *Cui protinus in descensu Alpium, quem Curiam*

Gal

bantur.[8] Mediolani ab Heriberto Archiepiſcopo, in aede D. Ambroſii coronatus eſt.[9] Poſtquam Rauennam venit, per alterum Italiae latus, retroagit iter, quod multi adhuc aduerſarentur Imperio ſuo.[10] Per calorem aeſtatis, in ſtatiuis ad Athim † fluuium, qui in Lacum Verbanum influit, ſe continuit, Archiepiſcopo Mediolanenſi commeatum praebente.[11] Eo alacriori milite, vbi per coeli temperiem licuit, vſus, partim armis, partim pactionibus ſubalpinas regiones omnes, quibus iam nulla in Wilhelmo Aquitano ſpes reliqua erat, pacauit. Tum quoque Manfredus inprimis, Seguſii † Marchio, Regi videtur conciliatus. * Eporediae Natalitia celebranti[12] adfuere legati Regis Burgundiae, pollicentes Rudolphum ipſum Romam, ad Solenne Coronationis Imperialis, venturum.

CONRADVS II.

Coronatur Mediolani.

† La Toſa.

† Suſa.

Y Iam-

Gallorum, licet corrupte, vocant, in oppido Cunis occurrit, cum ſummo apparatu, Papa Romanus, vt ante ſpoponderat.

8) WIPPO, p. 433. *Papienſem vrbem, quoniam valde populoſa fuit, ſubito capere non potuit: ipſos Papienſes in gratiam recipere noluit, quia palatium, quod deſtruxerant, in loco, vbi prius fuerat, reaedificare adhuc renuebant, ſed defenſores eorum, Adelbertum Marchionem, & Wilhelmum, & caeteros Principes, in iisdem terminis mirabiliter opprimere coepit.* Hunc locum illuſtrat MVRATORIVS in Antiqu. Eſtenſ. p. 117.

9) Conſ. MVRATORIVS de Corona Ferrea, cap. 8. It. PVRICELLVS in Monum. Baſilicae Ambroſianae p. 350. ſeq.

10) WIPPO, p. 433. *Hinc decedens tempore autumni, Italiam planam iterum peragrans, habitis conſiliis, & Regalibus colloquiis in opportunis locis, atque rebelles in vincula mittens, Regnum pacificauit: & ſic pertranſiens, vſque ad confinium Italiae & Burgundiae peruenit.*

11) WIPPO, p. 433. *Rex Conradus -- vltra Atim fluuium, propter opaca loca, & aëris temperiem, in montana ſeceſſit, ibique ab Archiepiſcopo Mediolanenſi per duos menſes & amplius, Regalem victum ſumtuoſe habuit.* Athis, fluuius, Italice *la Toſa*, in lacum Verbanum influit.

* Manfredus hic, ſiue Maginfredus, Marchio Seguſienſis, magna in rebus Italicis erat auctoritate. Illius fides affinitate etiam obſtricta fuit. Hermannus, priuignus Regis, duxit filiam Manfredi, Irmengardem.

12) WIPPO, p. 433. *Incohoante anno Natiuitatis Chriſti MXXVII. Rex Chounradus in Iporegia ciuitate, natalem Domini celebrauit. Illuc Rudolphi, Regis Burgundiae, legati venerant, promittentes, illum Romam venturum ad electionem, & conſecrationem Imperatoriam Chounradi Regis.*

CONRADVS II.

Reinerum, Marchionem Tuſciae, in ordinem redigit.

† A. 1027.

Romae Imperator coronatur.

† d. 26. Mart.

Iamque ipſe eo tendens, † in Etruria, Reinerum Marchionem, qui aſpernatus nouum Imperium, Luccam vrbem communiuerat, obſidet. Sed paulo poſt Reinerus vrbem, ac ſemet ipſum dedidit. [13] Ita fortiter feliciterque patratis rebus Romam veniens magnis omnium Ordinum ſtudiis excipitur, atque vna cum Giſila, Imperii inſignibus a Papa Iohanne XIX. die feſto Paſchatos, † ornatur. [14] Auxere ſpeciem illius caerimoniae praeſentia ſua Rudolphus Burgundiae, & Canutus, Danorum Anglorumque Rex, qui & peracta coronatione medium Imperatorem deduxere ad Palatium. [15] Multa tum Canutus Romae cum Imperatore & Papa de firmanda inter Imperium, & ſuae ditionis populos amicitia egit. [16] Conradus autem Beneventum

13) WIPPO, p. 433. *Veniens autem ad Lucam ciuitatem, inuenit eam ſibi aduerſam, cum Reginbero Marchione: ibi Rex paululum moratus, poſt paucos dies ciuitatem, & Marchionem, in deditionem accepit.* HEPID. ad An. 1032. (rectius 1027) *Rex Italiam ſibi paene totam, cis Romam, ſubiugauit, ſola Lucca ſibi reſiſtente, cum Reginbero Marchione.* OTTO FRISING. Lib. IV. cap. 28. *Rex Reginberum Marchionem, cum ciuibus Lucceuſibus, obuiam habuit, ſuſceptisque ad deditionem omnibus, ad vrbem iter tendit.*

14) WIPPO, p. 433. *Rex Chounradus, Romam ingreſſus, - - - a Papa Iohanne, & vniuerſis Romanis, regio honore mirifice receptus eſt: & in die ſancto Paſchae, qui eo anno VII. Cal. April. terminabatur, a Romanis ad Imperatorem electus, Imperialem benedictionem a Papa ſuſcepit:*
Caeſar, & Auguſtus Romano nomine dictus.

15) WIPPO, p. 433. *His ita peractis, in duorum Regum praeſentia, Rudolphi, Regis Burgundiae, & Cnutonis, Regis Anglorum, diuino officio finito, Imperator duorum Regum medius, ad cubiculum ſuum honorifice ductus eſt.*

16) Ita ipſe Canutus Rex in Epiſt. ad Anglos, apud WILHELMVM MALMESBVRIENSEM Lib. II. cap. 11. p. 74. *Sit vobis notum, quia magna congregatio Nobilium, in ipſa ſolennitate Paſchali, Romae cum domino Papa Iohanne, & Imperatore Conrado erat, ſcilicet omnes Principes gentium a monte Gargano vſque ad iſtud proximum mare, qui omnes me & honorifice ſuſcepere, & magnificis donis honorauere. Maxime autem ab Imperatore donis variis & muneribus pretioſis honoratus ſum, tam in vaſis aureis & argenteis, quam in palliis & veſtibus valde pretioſis. Locutus ſum igitur cum ipſo imperatore, & domino Papa, & principibus qui ibi erant, de neceſſitatibus totius populi mei, tam Angli, quam Dani, vt eis concederetur lex aequior, & pax ſecurior in via Romam adeundi, & ne tot clauſuris per viam arcerentur, & propter iniuſtum telonium fatigarentur. Annuitque poſtu-*

CONRADVS II.

Limitem Apuliae ordinat.

ventum, perrexit: Capuam quoque ac reliquas Imperii ſui in illo limite ciuitates adiit. Normannis etiam agros attribuit, vt ſub Principibus illarum regionum, operam in bello aduerſus Graecos, nauarent. [17]

V.

Erneſtus pacem turbat.

Interea dimiſerat ex Italia Erneſtum, nouo beneficio deuinctum, conceſſa in feudum Abbatia Campidunenſi. [1] Sed illum mox in transuerſum egerunt praua conſilia: populatus in Alſatia [2] Hugonis, Comitis Dagsburgii, conſobrini Imperatoris, agros, in Burgundiam ſe infert. Vbi Rudolphum Regem, officii erga Imperatorem memorem, aduerſari auſibus ſuis videt, reuerſus ad Sueuos, [3] praedia Monaſteriorum Augiae, & S. Galli diripit. Haud minus crudele bellum Guelpho cum Brunone Epiſcopo erat, in quo Comes Vrbe Auguſta potitus omnem Epiſcopi Theſaurum expilauit. [4] Multa quoque Friſingenſis, qui ſuppetias tulit Auguſtano, perpeſſus eſt. Imperator ex Italia reuer-

 ſus,

latis Imperator, & Rodulphus Rex, qui maxime ipſarum clauſurarum dominator, cunctique principes edictis firmarunt, vt homines mei, tam mercatores, quam alii orandi gratia viatores, abſque omni angaria clauſurarum, & telonéariorum, firma pace Romam eant, & redeant. Hae literae male in COLL. CONCIL. T.IX. p. 861. referuntur ad An. 1031.

17) WIPPO, p. 433. 434. *Imperator in Apuliam proceſſit, & Beneuentum, & Capuam, ac reliquas ciuitates illius regionis, ſeu vi, ſiue voluntaria deditione ſibi ſubiugauit, & Normannis, qui -- in Apuliam confluxerant, ibi habitare licentiam dedit, & ad defendendos terminos Regni aduerſus Graecorum verſutias, eos Principibus ſuis coadunauit.*

§. V. 1) HERM. CONTR. ad An. 1026. *Erneſtus, Dux Alamanniae, eo ipſo anno, interpellante matre pacificatus, Campidonenſem loco beneficii Abbatiam accepit, ſuisque militibus diſtribuit, nec multo poſt priuato auerſus conſilio, iterum rebellauit.*

2) WIPPO, p. 434. *Erneſtus rebellionem moliebatur, & conſilio quorumdam militum ſuorum, Alſatiam prouinciam vaſtauit, & caſtella Hugonis Comitis, qui erat conſanguineus Imperatoris, deſolauit.*

3) WIPPO, l. c. *Deinde magno exercitu iuuenum collecto, Burgundiam inuaſit, & vltra caſtrum Salodurum, quamdam inſulam aggere & vallo firmare coepit. Sed Rudolphus Rex Burgundionum, veritus hoſtem Imperatoris recipere, ab incepto illum prohibuit. Inde reuerſus ſuper Turicum, quoddam caſtrum muniuit, & Augienſem Eccleſiam, nec non Abbatiam S. Galli nimium diſtrahendo, non mediocre damnum patriae intulit.*

4) HERM. CONTR. ad An. 1026.

CONRADVS II.

ſus, vacauit rebus Bauariae conſtituendis, quae Ducem, Henricum Lucemburgium nuper amiſerat. Eum Ducatum filio ſuo, Henrico, quamquam iam Regi deſignato, contulit, praeterito Henrico iuniore. [5] Auguſtae Vindelicorum deinde conuentum habens, Erneſtum Vlmae [6] ad cauſam dicendam adeſſe iubet. Venit ille, confiſus lectiſſimo militi, & ſtudiis prouincialium ſuorum, ſperansque fore, vt vel impetrare poſſet ab Imperatore, quae cupiebat, vel certe incolumis diſcedere. Aſt vbi exploranti militum animos negant illi, ſe aduerſus Imperatorem operam nauaturos, [7] ſubito deſtitutus ab ea ſpe, non aliud reperit conſilium, quam vt Imperatori ſe permitteret. Idem fecit Guelphus, ſarciuitque inſuper damna, Epiſcopo Auguſtano illata. † Wernerus autem, Comes Kiburgi, quo animoſiorem aſſeclam non habuit Erneſtus, intra arces ſuas tutum ſe fore credebat. Imperator Erneſtum in caſtrum

Imperatori ſe dedit Vlmae.

† Wippo, l. c.

Brun, Auguſtenſis Epiſcopus, & Welph Comes praedis & incendiis inter ſe de mutuo debachantur. Addit WIPPO p. 434. *Ad extremum praedictus Comes ipſam Auguſtam irrumpens, aerarium Epiſcopi deſpoliauit, & totam ciuitatem vaſtauit: quod poſtea cogente Imperatore totum reſtituit, & Epiſcopo emendauit.*

5) ANNAL. SAXO ad An. 1027. *Natiuitatem S. Iohannis Baptiſtae, Imbripoli nouus Imperator celebrauit. Vbi & defuncto in bona ſenectute Henrico, Duce Bauariae, filio ſuo, Heinrico, eundem Ducatum, Principum delectu commendauit.* IDEM ad An. 1031 *Hoc anno Imperator, & filius eius, Heinricus, Dux Bauariae, &c.*

6) WIPPO, p. 434. *Imperator Chuonradus - - in Auguſta Vindelica colloquium familiare cum ſuis fidelibus tenens, de proditoribus patriae tractare coepit. Inde ad oppidum, quod Vlma vocatur, veniens, colloquium publice condictum illic habuit.*

7 Ita milites Erneſti ad Ducem ſuum apud WIPPONEM, p. 435. *Talia dicenti duo Comites, Fridericus & Anſelmus, pro caeteris reſpondebant, hoc modo: Nolumus inficiari, quin vobis fidem firmiter promitteremus contra omnes, praeter eum, qui nos vobis dedit: ſi ſerui eſſemus Regis, & Imperatoris noſtri, & ab eo iuri veſtro mancipati, non nobis liceret, a vobis ſeparari. Nunc vero cum liberi ſimul, & libertatis noſtrae ſummum defenſorem, interea Regem & Imperatorem noſtrum habeamus, vbi illum deſerimus, libertatem amittimus, quam nemo bonus, vt ait quidam, niſi cum vita ſimul amittit. Quod cum ita ſit, quidquid honeſti, & iuſti a nobis exquiritis, in hoc parere volumus vobis: ſi autem contra hoc vultis, illuc reuertemur liberaliter, vnde ad vos venimus conditionaliter.*

ſtrum Giebichenſteinam detinendum miſit. Ipſe Kiburgum expugnat, aliasque arces nonnullas diruit. [8] Pacata adeo Suevia, Baſileae cum Rudolpho Rege, conciliante Giſila, transegit, vt Burgundus eadem, qua ante Henrico conditione, ſibi regnum addiceret. [9] Iamque ab hoc tempore, annos Regni in Burgundia numerat. [10] Inde in Franciam tendenti Conradus Dux ſe permiſit: quem aliquamdiu liberali cuſtodia detentum, ſingulari deinde amore proſecutus eſt. [11] Francofurti praeſedit in Synodo Nationali, quam Aribo, Archiepiſcopus Moguntinus, coëgerat. [12] In illa vetus controuerſia inter Moguntinum & Hil-

CONRADVS II.

Concilium Francofurtenſe.

8) HERM. CONTR. ad An. 1027. *Chiburg, caſtrum Werinharii Comitis, adhuc renitentis, aliaque nonnulla rebellium caſtra capta ſunt.* HEPID. ad An. 1033. *Caſtrum, quod Chiburg dicitur, tribus menſibus obſeſſum, Werinhero Comite fruſtra diu repugnante, tandem ab ipſo Rege capitur.*

9) WIPPO, p. 435. *Imperator perveniens vsque ad Baſileam, Rudolphum, Regem Burgundiae alloquitur, qui illic ſibi occurrebat extra vrbem, extra vicum, qui Mittenha dicitur, & habito familiari colloquio, Imperator Regem ſecum duxit in vrbem. Confirmata inter eos pace, Giſela Imperatrice haec omnia mediante, regnoque Burgundiae Imperatori tradito, eodem pacto, quemadmodum prius anteceſſori ſuo, Henrico Imperatori datum fuerat, Rex iterum donis ampliatis cum ſuis reuerſus eſt in Burgundiam.*

10) Vti ex duabus chartis Eccleſiae Veſontinae notauit GVILLIMAN. Helvet. Lib. II. fol. 276. Atque ex illo DVNOD. p. 119.

11) WIPPO, p. 435. *Imperator vero, deſcendens per Rhenum, in Franciam venit, ibique Dux Chuno, patruelis eius, prius rebellis, ſe reddidit: quem Imperator in liberis cuſtodiis aliquantulum caſtigauit, deſtructisque munitionibus ſuis, quas optimas habuit, in gratiam illum recepit, totumque honorem ſuum ſibi reſtituit.*

12) Vita S. Godehardi ad An. 1027. *Aribo Moguntinus Franconouordi Concilium Synodi coadunauit, praeſidente Imperatore, cum Epiſcopis XXIII. in quo iterum beatum virum Godehardum de ſaepius ventilata cauſa, more ſuo inquietauit.* Iuuat hic ordinem ſedendi in Concilio nationali inſpicere. *Pulcra enim erat ibi, & rationaliter ordinata tam Regalis, quam & Epiſcopalis conſeſſio Nam in Orientali parte ante Altare, Archiepiſcopus Aribo cum ſuis ſuffraganeis, Wernero Argentinenſe, Brunone Auguſtenſe, Meginwerco Paderbronnenſe, Euerhardo Bauebergenſe, Meginhardo Wirciburgenſe Godehardo Hildenesheimenſe, Branthio Haluerſtadenſe, Wiggero Verdenſe, Hazecone Wormatienſe, conſedit. In Occidentali vero parte Imperator conſedit, & a dextris eius Pilegrinus, Coloniae Archiepiſcopus, cum ſibi ſubditis, Sigiberto Minaenſe, Sigifrido Minnigardenſe, Bernone Traiectenſe: A ſiniſtris Hunfridus, Parthenopoli-*

CONRADVS II.

Hildeſienſem de iure Dioeceſano in Coenobium Gandersheimenſe rurſus diſcutitur, praeualuitque Synodali iudicio [13] cauſa Eccleſiae Hildeſienſis.

Henricus Rex coronatur.

An. MXXVIII. Henricum filium, vndecimum tunc aetatis annum agentem, Aquisgrani, feſto Paſchatos die, ab Archiepiſcopo Colonienſi, Regem vngi atque coronari curauit. [14] Manſit ille ſub cura Brunonis Epiſcopi, quo mortuo, † Engelbertus, Epiſcopus Friſingenſis, moderandae iuuentuti Regis praefectus eſt.

† An. 1029.

VI.

Erneſtus Ducatu Sueuiae priuatur.

An. MXXX. Ingelheimi, dimiſſo ex cuſtodia Erneſto Ducatum reddidit, ea lege, vt Wernerum, eiusque aſſeclas, tamquam hoſtes Reipublicae, perſequeretur. Erneſtus contra horum obſequia, & quam ipſe illis dederat fidem, praetulit. Itaque in Iudicio Principum denuo reus agitur, & matre Auguſta palam profitente, nulla ſe contumacis filii miſericordia tangi, Ducatu priuatus, ſacris etiam interdicitur. †

† Wippo, p. 436.

Sue-

tanus Archiepiſcopus, cum ſuis, Hildiwardo Citizenſe, Brunone Merſburgenſe, Luitzone Hauesbergenſe, Thiederico Miſnenſe. In Auſtrali autem plaga Epiſcopi, Rambrechtus Virdunenſis, Rodulphus Sleſuicenſis, Hiltolphus Mantuanus, Reginoldus Altenbergenſis, aſſederunt. In Aquilonari etiam Abbates, Richardus Fuldenſis, Reginboldus Loresheimenſis, Arnolphus Herueldenſis, Gerberdus Moguntinus, cum aliis etiam eiusdem ordinis ſex adfuerunt.

13) IBID. Hic quoque locus ſeruit ad illuſtrandum modum procedendi in Iudicio Synodali. *Ibi Praeſul noſter, tandem ſumma veritate, quae Deus eſt, miſerante pariter & adiuuante, Epiſcopatus ſui proprietatem, ſuper totum Gandesheimenſe territorium, teſtimonio ſeptem Epiſcoporum, qui praedictam pactionem in Gandesheim & audierant, & viderant, Canonice retinuit: ſcilicet Brunone Auguſtenſi concionante, Wernero Argentinenſi decernente, ipſo vero Metropolitano, vere inuito, verbi Dei banno affirmante. Hi enim erant Epiſcopi, qui Seniori noſtro ſuum teſtimonium, ſicuti audierant, & viderant, praebuerunt, id eſt, Bruno Auguſtenſis, Euerhardus Ravensbergenſis, Meinwercus Paderbronnenſis, Meginhardus Wirceburgenſis, Sigeberdus Mindenenſis, Hildiwardus Citizenſis, Bruno Merſburgenſis.*

14) HERM. CONTR. ad An. 1028. *Heinricus, filius Imperatoris, Aquisgrani, in die ſancto Paſchae, a Principibus cunctis adhuc puer electus, a Piligrino, Colonienſi Archiepiſcopo, vnctus eſt.* Ab hoc tempore Henricus, in diplomatibus, annos ordinationis ſuae numerat.

CONRADVS II.

Sueuia fratri eius Hermanno datur, atque ipſe, quod ob pueritiam regere prouinciam nondum poterat, curae Wartmanni, Epiſcopi Conſtantienſis, committitur. [1] Erneſtus ad Ottonem, Comitem Campaniae, profugit, conſobrinum Giſilae, (quippe ex Bertha, Rudolphi Regis ſorore, genitus erat) qui auunculi cum Conrado Imperatore pacta nec ipſe aequo tuliſſe animo videtur. Sed quod is non auderet, aut certe nollet, Erneſti erroribus cauſam ſuam implicare, inuiſus mortalibus, & extorris a ſacris, clam in Sueuiam reuertitur, patre tum bello adverſus Hungarum diſtento. Tutus initio Marcianae ſilvae latebris, ex caſtro Falckenſtein, vna cum Wernero ſuo, vicinos depraedatur. [2] Mox licentius euagantem, cum in regionem Baarenſem deſcendiſſet, † Comes Mangoldus, cui prouinciam armis tutandam Wartmannus Epiſcopus commendauerat, aggreditur. Eo praelio vtrinque Duces, hinc Erneſtus, & Wernerus Comes, [3] inde Mangoldus ceciderunt. Corpus Erneſti Conſtantiae, in templo B. Mariae Virginis, conceſſa prius ab Epiſcopo venia, tumulo datum. † Ita infelix iuuenis, dum bonis ſuis, quamuis ampliſſimis, non contentus, maiora immodice appetit, etiam illa quae habebat, cum vita ipſa amiſit. Bellum

Ad Ottonem, Comitem Campaniae fugit.

In Sueuiam revertitur.

† Ibid. p. 7.

In praelio vitam amittit.

† Ibid.

§. VI. 1) WIPPO p. 436. *Imperator vero Ducatum Alemanniae, Hermanno Iuniori, fratri eiusdem Erneſti dedit, eumque Warmanno, Conſtantienſi Epiſcopo, commendauit.*

2) WIPPO, p. 437. *Manegoldus Comes, miles Imperatoris, de Augenſi Abbatia magnum beneficium habens ab Imperatore, & Warmanno Conſtantienſi Epiſcopo, qui tunc vice Ducis Hermanni Alemanniam gubernabat, praeſidio locatus fuerat, ne Dux Erneſtus praedas, aut incendia faceret in regione.*

3 WIPPO, l. c. HERM. CONTR. ad An. 1030. *In Alamannia cum Erneſtus, dudum Dux, eiusque complices, paruis viribus contra Imperatorem agitantes, praedis circa ſiluam Martianam populares infeſtarent, a Manegoldo Comite obſeruati, & XVI. Cal. Sept. conſerto praelio, victi ſunt. Ernuſt, pridem Dux, & Werinhero Comes, caput rebellionis, cum aliis ceciderunt.*

CONRADVS II.

VII.

Bellum cum Stephano, Hungariae Rege.

Bellum vero Hungaricum, quo tum Conradus distinebatur, ex mutuis ortum erat de finibus inter Bauaros & Hungaros contentionibus. Initium quidem iniuriae ad Bauaros referunt. Stephanus autem Rex non contentus Bauariae limitem vastasse, Wernero etiam, Episcopo Argentoratensi,[1] quum Constantinopolim, missus ab Imperatore Legatus tenderet, transitum negauerat.[2] Quare An. MXXX. Imperator ipse in Hungariam excurrit, & Rabam vsque, flamma ferroque grassatur.[3] Paulo post tamen cum Stephanus, missis ad Henricum Regem, Bauariam tum obtinentem, Legatis, pacem peteret, suasu Engelberti, Episcopi Frisingensis, qui post obitum Brunonis, iuuentutem Regis moderabatur, obliterata est omnis offensae memoria,[4] sancitamque concordiam Imperator quoque ratam habuit.[5]

VIII.

Rudolphus, Burgundiae Rex, moritur.

An. MXXXII. Rudolphus Rex Burgundiae moritur.[1] Paullo ante obitum insignia Regni Imperatori trans-

§. VII. 1) Werneri huius Episcopi mentionem iam supra feci lib. IV. §.28.

2) WIPPO, p. 435. *Werinharius, Argentinae ciuitatis Episcopus, ab Imperatore Legatus Constantinopolim mittitur. Qui dum causa orationis, Hierosolymam pergere se fingeret, vt putauimus indicio Domini, quem fallere nemo valebit, mirabiliter prohibitus est. Nam dum magnum comitatum hominum, maiorem quoque animalium, equorum, boum, ouium, porcorum, multasque delicias seculares vltra modum secum educeret, perueniens in Hungariam, a Rege Stephano contradicta est sibi via, quod eo tempore nulli oratori accidit.*

3) WIPPO, p. 436. *Multae dissensiones inter gentem Pannonicam & Boioarios, culpa tamen Boioariorum, factae sunt, ita, vt Stephanus, Rex Hungarorum, multas incursiones & praedas in regno Noricorum, id est, Boioariorum faceret.*

4) WIPPO, p. 437. *Rex Henricus - - Eigelberto, Frisingensi Episcopo creditus, legatione Stephani Regis, pacem petentis accepta, vnico consilio Principum Regni, Patre nesciente, gratiam conciliationis annuit, iuste & sapienter agens, qui Regem iniuste iniuriatum, vltro petentem gratiam recepit in amicitiam.*

5) CHRONOGR. SAXO ad A. 1031. *Hoc anno, Imperator, & filius eius Henricus, Dux Bauariae, & Stephanus, Rex Vngariorum, cum iuramento pacem inuicem firmauere.*

§. VIII. 1) Obiit mense Sept. Vid. MABILL. Ann. T. IV. p. 377.

transmiserat,[2] in quibus & Lancea S. Mauritii fuit magna semper apud Burgundos religione culta.[3] Sed dum Imperator bello aduersus Slauos detinetur, Otto, Campaniae Comes, quem ex Bertha, Rudolphi Regis sorore, genitum scripsi, in Burgundiam aduolat, Murtenam, & Nouum Castrum[4] praesidiis firmat. Viennam quoque, vrbem Regiam, in sua verba iurare adigit:[5] iamque ad Regnum ipsum occupandum haud obscure adspirat[6]. Imperator autem, rebus cum Slauis compositis, ad Rhenum mouet, celebratisque Argentorati Natalitiis, Anno MXXXIII. ineunte, cum filio Henrico, in Burgundiam proficiscitur, & Paterniaci[7] † ab Optimatibus Burgundiae Rex salutatur, coronaturque.† Sed cum propter hiemis asperitatem, Murtenam frustra obsedisset, nec progredi per inuia niuibus loca posset, ad Tigurinos flexit. Ea in vrbe adsunt

CONRADVS II.

Otto, Campaniae Comes, Burgundiam inuadit.

Conradus in Burgundia Rex coronatur.

† Payerne.

† d. 2. Febr.

Z

2) HERM. CONTR. ad A. 1032. *Rudolphus ignauus, Burgundiae Regulus, obiit, & diadema eius, regnique insignia, Conrado Imperatori per Seligerum allata sunt.*

3) HVGO FLAVINIAC. in Chron. Verdun. c. 29. *Rodulfus Rex, absque liberis existens, Conrado Imperatori Burgundiae regnum dereliquit, dans ei lanceam S. Mauricii, quod erat insigne Regni Burgundiae.*

4) HERM. CONTRACTVS l.c. *Odo - - regnum Burgundiae inuasit, captisque Nuenburg, & Murtena castris, sua in eis praesidia posuit.*

5) HVGO FLAVINIACENSIS Chron. Virdunens. P. II. p. 185. *Odo obsedit Viennam, quam ea conditione in foedus recepit, vt praestituto termino, in eadem vrbe Rex appellari, & coronari debuisset.*

6) Incertum videri posset, vtrum Otto hic Regnum Burgundorum reuera affectauerit, si WIPPONEM audias, qui, postquam Rudolphi Regis obitum commemorauit, ita pergit, p. 438. *Cuius regnum Comes Odo Francigena, filius sororis suae, inuasit, & quaedam castra munitissima, siue ciuitates, seu dolo, seu bello ceperat: nec se Regem ausus est facere, nec tamen regnum voluit dimittere. Referebat quidam illum dixisse saepe, quod nunquam Rex fieri, sed tamen semper magister esse Regis vellet.* Sed omnino illum Regni occupandi agitasse consilium, ex loco HVGONIS FLAVINIACENSIS, quem supra attuli, apparet. Eius narrationem confirmat, illustratque SIGEB. GEMBLACENSIS ad An. 1035. *Odo Campaniensis, Regnum Rudolphi Regis, auunculi sui, a Conrado Imperatore, nepote suo, repetens, vt sub eo regat Burgundiam, efflagitat.*

7) Recentiores ad fanum S. Mauricii coronatum tradunt. HEPIDANI locum, qui Geneuae id factum scribit, dabimus ad §. sequ.

CONRADVS II.

ſunt Ermengardis Regina, vidua Rudolphi, & Proceres aliquot, addicti Germanico Imperio, qui anno praeterito, metu Ottonis, in Italiam ſeceſſerant. [8] Inter illos Huberti inprimis inclytum nomen, [9] Mauriennae Comitis, a quo Sabaudica Domus originem trahit. Proxima aeſtate, Imperator, ducturus in ipſam Campaniam exercitum,[10] ad Moſam, prope fanum S. Michaelis conſedit. [11] Perculſus tam praeſente periculo Otto, vt ab agris ſuis vaſtitatem auerteret, protenus in caſtra venit, pollicetur que cedere omnibus, quae in Burgundia teneret. Quamquam implere fidem, vt Germani prouincia exceſſerunt, minime curauit.

Aduerſus Ottonem in Campaniam tendit.

IX.

Imperator iterum in Burgundos mouet.

Imperator autem An. MXXXIV. denuo mouet in Burgundos, vt, qui aduerſabantur Imperio eius, in ordinem redigeret. Ex Italia etiam Archiepiſcopus Mediolani, & Bonifacius, Marchio Tuſciae, aliique clientes, [1] ductu Huberti Comitis, ad opem ferendam aduentabant. Frequentem conuentum habuit Coloniae Allobrogum. Ibi & Burcardus, Archiepiſcopus Lugduni, & Geroldus [2] Co-

8) WIPPO, p. 438. *Imperator reuerſus ad Turcicum caſtrum peruenit: ibi plures Burgundionum, regina Burgundiae, iam vidua, & Comes Hupertus, & alii, qui propter inſidias Odonis in Burgundia ad Imperatorem venire nequiuerunt, per Italiam pergentes, occurrebant ſibi: & effecti ſui, fide promiſſa, per ſacramentum ſibi, & filio ſuo, Henrico Regi, mirifice donati redierunt.*

9) Vulgo *Hubert aux blanches mains.* Ita DV CHESNE, Lib. IV. cap. 53.

10) WIPPO, l. c. HERMAN. CONTR. ad h. a. HVG. FLAVINIAC. in Chron. Verdun.

11) Monſtrari adhuc locum teſtatur MABILLONIVS, T. IV. Ann. Benedict. Lib. LVII. n. 18. p. 384. & producit diploma: *Datum XIII. Kal. Sept. anno ab inc. MXXXIII. anno Chounradi regnantis VIIII. imperantis VII. Actum ad Monaſterium S. Michaëlis ſupra Moſam.*

§. IX. 1) WIPPO, p. 439. ARNVLPHVS Lib. II. cap. 8. ſcribit, Heribertum & Bonifacium duxiſſe exercitum *per acceſſus illos, quos reddunt meabiles praeciſa ſaxa inexpugnabilis oppidi Bardi, atque Iouii montis ardua iuga transſcendiſſe.* Bard, oppidulum eſt in Ducatu Auguſtano, ad Doriam Balteam fluuium, ad radices Alpium.

2) DV CHESNE de Regn. Burgund. coniectat, Geroldum hunc Viennae, & ſimul Geneuae Comitem fuiſſe.

Comes, fidem ei iurauerunt.[3] In Germaniam remeans, Muratum oppidum, in quo praesidium Otto habebat, expugnat, aliosque aliquot Ottonis asseclas sedibus suis pellit.[4] Ita Burgundia Germanico Imperio asserta fuit. Continebat vero Prouinciam Galliae ad Rhodanum, cuius caput Arelas, inclyta vetere fama vrbs, a qua Regnum ipsum Arelatense appellatum est: magnam praeterea partem Galliae Lugdunensis & Viennensis: tum Sequanos, & quas olim regiones Allobroges, & Octoduri coluerunt, partemque Heluetiorum. Plurima reperiuntur iuris, quod ab hoc tempore, Imperio in eas regiones fuit, documenta in Diplomatibus Imperatorum, quibus Proceribus feuda, aut Ecclesiis, vrbibusque priuilegia concesserunt. Tam late proferenti per Galliam Imperii fines Conrado, pax insuper & foedus erat cum Henrico, Rege Franciae Occidentalis:[5] in quo procurando solertia

CONRADVS II.

Burgundia Imperio asserta. Fines eius.

Conradi foedus cum Henrico, Rege Francorum.

Pop-

3) WIPPO, p. 439. *Augustus veniens ad Geneuensem ciuitatem, Geroldum, Principem regionis illius, & Archiepiscopum Lugdunensem, atque alios quam plures subegit: & reuersus, castrum Murat cum fortissimis militibus Odonis munitum obsidens, vi cepit, & quos intus inuenerat, captiuos duxit. Ceteri fautores Odonis hoc audientes, solo timore Caesaris fugerunt: quos persecutus Caesar, omnino exterminauit de regno, & acceptis de Principibus Burgundiae multis obsidibus, rediit per Alsatiam ad Imperatricem.* HEPIDANVS ad An. 1040. (rectius 1034) *Chuonradus Imperator iterum in Burgundiam cum exercitu intrauit, & omnia municipia cum ciuibus, ad Rhodanum usque fluuium, suae ditioni subegit, Geneuamque peruenit. Ibi vero ab Heriberto, Archiepiscopo Mediolanensi, ceterisque Italiae, & Burgundiae Principibus honorifice susceptus, in festiuitate S. Petri ad vincula coronatus producitur, & in Regnum Burgundionum Rex eli-*

4) WIPPO, p. 439. vid. supr. n. 3.

5) GLABER, IV. 38. *Conradus pactum securitatis, & amicitiae cum Rege Francorum, Henrico, filio Roberti, statuit.* EVERHELMVS, Altimontensis Abbas, in Vita S. Popponis, §. 30. p. 584. *Quia ante complures annos Romani Imperii cum Francis discordia non minima inoleuerat, Poppo, inter vtrosque pacis gratiam, labore & industria sua paratam, compleuit, Conradumque, atque Henricum, Reges, in consensum reuocauit. - - Erat enim ei cum vtrisque par locus inueniendi, quae poposcerat, vtpote qui plurimum, amicitia dictante, penes eos valuerat; ideoque discordia, quae inter eos quasi quoddam senium longum duxerat, ipso mediante in nihilum reda-*

CONRADVS II.

Popponis, Abbatis Stabulensis, haud parum laudatur. Filiam quoque Mathildin Imperator Henrico Regi desponsauerat. Sed ea, antequam nuptiae fierent, Wormatiae obiit.[6]

X.

Polonicum bellum. Micislaus limitem Saxonicum vastat.

† A. 1025.

† v. not. in f.

Imperator Budissinam frustra obsidet.

† An. 1030.

Hoc loco Slauica bella narrare conuenit, quae per eosdem fere annos ab Imperatore gesta sunt. Turbauerat hunc limitem Micislaus, Polonorum Rex. Is mortuo Boleslao, † cum regnum quod pater inter filios diuiserat, solus occupasset, mox armis lacessere finitimos coepit, Leuticos primum, deinde & Saxones. † Equidem Conradus An. MXXIX. aduersus illum profectus est: sed cum Budissinam vrbem frustra obsedisset, differre vltionem oportuit.[1] Quo successu elatus Polonus, cum paulo post Ditmarus, Marchio Lusatiae, obiisset, licentius excurrit: † magnamque hominum vim, & ipsum Episcopum Brandenburgicum, in captiuitatem abducit. Iamque superato Albi,[2] regionem omnem cir-

cta est. - - Vnde & inuidendi sibi occasionem quibusdam tribuit, quia solus id efficere valuit, quod vt fieret, in multis effectus iam olim pertentatus defuit.

6) WIPPO, p. 439. inter res An. 1034. *Filia Imperatoris Conradi, & Gisilae Imperatricis, mirae formositatis puella, Henrico, Regi Francorum desponsata, obiit Wormatiae.*

§. X. 1) CHRONOGR. SAXO ad An. 1029. *Rex hoc anno, ducere multimodas legiones in Poloniam decreuit. - Delusus Rex cum exercitu siluis deniis, palustribus desertis, periculosisque locis admodum lacessitus, nec quo voluit, peruenit, sed quorumdam consilio, Budissin, vrbem quamdam, suo regno non parentem, obsedit. Circa quam multi ex vtraque parte interiere. Videns igitur Caesar, aduersarios superari non posse, proximo anno distulit, seque Saxonicis partibus recepit.*

2) ANN. SAXO ECCARD. ad An. 1030. *Res miranda, cunctisque Christi fidelibus stupenda, XVII. Kalendas Febr. accidit. Miseco, Dux Polonorum, qui contra Romanum Imperium, Regale sibi nomen vsurpauit, comperto obitu Thietmari Marchionis, clam assumtis satellitibus diaboli, Sigefrido, aliisque sceleratis, exercitum Paganorum in sanctam duxit Ecclesiam.* Et post pauca: *Igitur Miseco, inter Albim & Salam, plus quam centum villas incendiis, caedibusque vastauit, Christianorum IX. millia, & LXV. viros ac mulieres miserabiliter captiuauit. Reuerendissimum Brandenburgensem Episcopum, Luizonem, vt vile mancipium cepit, nec sacris altaribus pepercit, sed omnia homicidiis, sanguineque polluit.*

CONRADVS II.

circa Muldam & Salam, diripiendam militibus destinabat. Sed Theodericus, Comes Mersburgi & Ileburgi, (cuius posteri Marchiam Misnensem obtinuerunt) euocatis ad defensionem Patriae prouincialibus, palantes adoritur, multisque occisis reliquos in fugam coniicit.[3] Inter illas Slauorum grassationes, (nam & Bohemi crebras excursiones faciebant)[4] Hildeuardus, Episcopus Cizensis, Ecclesiae suae valde metuens, impetrato Imperatoris, & Papae Iohannis consensu, cathedram Numburgum ad Salam, tanquam in locum tutiorem, transtulit, quod oppidum Hermannus, Marchio Misniae, & frater eius, Eccardus Comes, ad hosce vsus liberaliter donauerant.[5]

Episcopatus Cizensis transfertur Numburgum.

XI.

Altera Conradi in Polonos expeditio.

Fortunata magis arma An. MXXXI. Imperator aduersus Micislaum mouit.[1] Otto etiam, frater eius, qui ad Russos confugerat, regnum repetitum venit: magnisque prouincialium studiis exceptus est. Non aliud Micislao subsidium, quam amicitia Othelrici, Bohemorum Ducis. Vbi in praesentius, quam quod vitauerat, periculum ferme incidit. Bohemus enim, qui & ipse tum Imperatorem iratum habebat, clam obtulit captiuum de-

3) IDEM l. c. *Interea Theodericus Comes, superueniens cum militibus, plures ex illis occidit, ceteros effugauit.*

4) Bohemos quoque finitimas Germaniae regiones infestasse, apparet ex AD. BREMENSI, Lib. II. cap. 39. vbi de Conrado: *Mox Polonos, & Regem eorum Misingum, magna virtute perdomuit, & auxiliatores eorum, Bohemos, ceterosque Slauorum populos sub tributum misit.*

5) Hanc translationem Episcopatus Cizensis illustrat CASP. SAGITTARIVS, in Hist. Eccardi II. Marchionis Misniae, p. 34. seq.

§. XI. 1) ANN. HILDESH. ad An. 1031. expeditionem Conradi, & subsecutam anno sequente pacem, vna narratione complectuntur. *Tempore autumnali, Imperator Slauos, cum parua Saxonum manu inuasit, & Misaconem, diu sibi resistentem, Liusizi cum aliquot vrbibus, & praeda, quae prioribus annis, in Saxoniae partibus facta fuerat, restituere, pacemque iuramento firmare coëgit.* Idem habet AVCT. VIT. S. MEINVERCI, c. 108.

CONRADVS II.

† Wippo p. 438.
† An. 1032.

dere Micislaum. Sed noluit Germanus Princeps violandae hoſpitalis fidei conditione paciſci. † Verum Otto, anno ſequente, † dum auctoritatem Imperatoris, atque auxilium, per legatos ſolicitat, [2] dubium fratrisne impulſu, an quod ſuperbe crudeliterque dominantem auerſaretur populus, (vtrumque enim apud veteres reperio) interfectus eſt. [3] Tum Micislaus facile recuperato regno, protinus ad placandum Imperatorem curam conuertit: venitque Mersburgum, † & pacem praeſens ea conditione compoſuit, [4] vt Luſatiam, & vicinas aliquot vrbes, cum omni, quam praeteritis annis e Saxonibus egerat praeda, redderet.

Pax inita Mersburgi.
† An. 1032.

In matrimonio habuit Micislaus Richenzam, Ehrenfridi, Palatii Comitis, ex Mathildi Saxonica filiam, neptemque adeo Imperatoris Ottonis II. Illa poſt obitum mariti, † quum Polonos ſaeuis erga ſe odiis, prouinciamque ipſam ciuili aeque ac externo bello agitari cerneret, cum filio Caſimiro in Saxoniam ſeſe recepit,

Richenza Regina in Saxoniam ſeceſſit.
† An. 1034.

2) ANN. HILDESH. ad a. 1031. *Sed idem Bezbrimo Imperatori coronam, cum aliis Regalibus, quae ſibi frater eius iniuſte vſurpauerat, transmiſit, ac ſemet humili mandomine, per Legatos ſuos Imperatori ſubditurum promiſit.* Idem habet ANNAL. SAXO ECCARD. ad h. a.

3) ANN. SAXO ECCARD. ad A. 1032. *Hoc anno praedictus Bezbriem, ob immaniſſimam ſuae tyrannidis ſaeuitiam, a ſuis interfectus eſt, machinatione fratrum ſuorum, ſicut populi ſermo eſt.*

4) ANN. SAXO ECCARD. ad A. 1032. *Statim Miſeco domum rediit, cognoſcensque ſibi propter immoderatam inſolentiam omnia, quae perpeſſus eſt, diuino iudicio, eueniſſe, miſit ad Imperatorem, & tempus ſe praeſentandi, digneque ſatisfaciendi poſtulauit. Quem Imperator clementius, quam ipſe opinaretur, ſuſcepit, eique, & patrueli eius Theoderico, regnum, quod ipſe prius poſſederat, diuiſit: quod tamen ſolus iterum vſurpauit.* ANN. HILDESH. ad A. 1032. *Poſtmodum Imperatore conſentiente, Mersburg venit, & ſemet Non. Iul. in Imperatoriam poteſtatem, coronae ſcilicet, ac totius Regalis ornamenti oblitus, humiliter dedit. Quem Imperator clementius, quam ipſe opinaretur, ſuſcepit, eique, & patrueli eius, cuidam Thiedrico, regnum, quod ipſe ſolus ante poſſederat, diuiſit: quod tamen ſolus iterum vſurpauit.*

cepit, vbi insignia praedia ex materna hereditate habebat.

CONRADVS II.

XII.

Conradus limitem aduersus Leuticos firmat.

Imperator a conuentu Mersburgensi, aduersus Leuticos, qui & ipsi vicinas Saxoniae regiones infestabant, pergit, Wirbenamque, vetus contra illos ad Albim munimentum, † instaurat. [1] In iisdem castris Othelricus, Bohemiae Dux, qui nequicquam Mersburgum ad Curiam euocatus fuerat, proscribitur. [2] Haud multo post † tamen in gratiam receptus est, [3] ea conditione, vt partem Regni Iaromiro fratri, quem ab Henrico II. in exilium missum scripsimus, † permitteret. Leutici autem non diu sese continuerunt: Namque An. MXXXV. Albim, duratum glacie superantes, Wirbenam expugnant, Saxones, qui in praesidio erant, captiuos abducunt. [4] Tum vero Conradus, iam non tutari fines contentus, superato fluuio, Slauos in propriis sedibus adoritur. † Quo in bello & fortissimi ducis, & impigri militis munia, ipse pugnam manu capessens, impleuit. [5] Attriti pluribus praeliis Leutici,

† Supr. L. IV, 13.

† A. 1034.

† Ibid. 19.

Ipsosque iterum vectigales facit.

† A. 1036.

§. XII. 1) WIPPO, p. 440. *Imperator ad compescendas* (Luticiorum) *incursiones, construxit castrum Wirbinam, in quo praesidia militum locabat, & principes Saxoniae, vt vnanimiter resisterent paganis, sacramento, & Imperiali iussione constringebat.*

2) ANN. HILDESH. ad A. 1032. *Vdalricus vero eodem,* (nempe Mersburgum) *Regali iussione inuitatus, venire contemsit. Quem Imperator postea Wirbeni, vbi contra Lutizios, pacificandi regni gratia consedit, ad se venientem, & etiam ratione conuictum, de insidiis quoque, quas ipsi Imperatori fecit ante biennium, confessum, in exilium transmisit.*

3) ANN. HILDESH. ad A. 1034. *In Paschali vero festiuitate Vdalricus, Boemorum Dux, obtentu Imperatricis, & Principum, in gratiam de exilio domum redire promeruit, & Ducatus sui medietatem, suo fratre Germiro medietatem retinente, suscepit.*

4) ANN. HILDESH. ad A. 1035. *Tempore Quadragesimali, vrbs Wirbini a Luitiziis capitur, & praesidium Dedi Comitis captiuum deducitur.*

5) WIPPO, p. 440. *Multum laborauit Conradus Imperator prius, & tum, in gente Slauorum. Vnde quidam de nostris quoddam breuiarium versifice fecit, quod postea Imperatori praesentauit. Ibi legitur, qualiter Imperator in-*

CONRADVS II. tici, vectigales iterum Imperio facti sunt. 6 Quod multum ad pacandam omnem, quae inter Albim ac mare Balticum est, Germaniam profuit.

XIIII. Namque Abotritos etiam & Vagrios, post Transalbinam Saxoniam crudeliter vastatam,[1] Bernhardus, Saxonum Dux, ad tributum reuocauerat.[2] Ea tranquillitate vtens Vnuanus, Archiepiscopus Hamburgensis, instaurauit Ecclesiam suam, & collapsa per Slauorum regionem Christiana sacra suscitauit. Is & autor, conciliatorque amicitiae inter Conradum, & Canutum Regem fuit, quam Romae, vti diximus, foedere firmatam, Imperator denique affinitate & beneficio arctius obstrinxit. Quippe filiam Canuti Regis Cunehildim, desponsauit filio suo, Henrico: & vicissim Slesuicum oppidum Danis reddidit, cum agro trans Eidoram fluuium.[3] Is hactenus Marchionem ab Imperio habuerat, sed Slauorum incursionibus nimium patebat. Ab eo tempore Eidora mansit terminus

Abotriti in ordinem redacti.

Conradus Imper. cum Canuto Rege foedus facit.

Slesuicum Dano cedit.

terdum in paludibus vsque femora stabat, pugnans ipse, & exhortans milites, vt pugnarent.

6) ANN. HILDESH. ad A. 1036. *Aestiuo tempore, Imperator regionem Luiticiorum cum exercitu intrauit. Sed Dei gratia omnibus pro suo velle dispositis, acceptis obsidibus, & innumerabili pecunia, in pace remeauit.* HERM. CONTR. ad A. 1036. notat Leuticos vectigales factos. WIPPO, p. 440. *Vt censum, ab antiquis Imperatoribus propositum, & iam auctum, Conrado Imperatori postea persoluerent.*

§. XIIII. 1) Godschalcus, nepos Mistizlai, Regis Abotritarum, crudeliter vastauerat Saxoniam Transalbinam. HELMOLDVS Lib. I. cap. 19. *Nihil remansit in Holsatorum, & Stormariorum prouincia, siue etiam, qui Thetmarsi dicuntur, quod manus eius effugerit, praeter notissima illa praesidia, Ezebo, & Bokeldeburg. Illo se quidam armati contulerunt cum mulieribus, & paruulis, & substantiis, qui direptioni superfuerant.* Itzehoa, coenobio inclytus in Stormaria locus; & Bockelnburgum, Castrum quondam Comitum Dithmarsiae, hodienum supersunt.

2) AD. BREMENS. Lib. II. c. 33. de Bernhardo Duce: *Moxque fauente Vnwano, Slauis tributo subiectis, pacem reddidit Nordalbingis, & matri Hammaburg.* De tempore Libentii IDEM p. 29. *Eo tempore, virtute Knut Regis, & Ducis Bernhardi, pax firma trans Albiam erat, cum etiam Caesar Winulos bello domuerit.*

3) AD. BREMENS. Lib. II. c. 39.

CONRADVS II.

minus Germanicae ditionis. Nuptiae Henrici Regis [4] celebratae sunt Neomagi, † ibique coronata Cunehildis, & mutato paulisper nomine, Cunegundis appellata est. [5] Sacrorum per Septentrionem cura tum adhuc ad Archiepiscopos Hamburgenses, titulo Legationis Sedis Apostolicae, pertinebat, eaque Vnuanus, [6] & successor Libentius II. summa cum dignitate, & magno cum fructu, functi sunt. Nam & Canutus, quamuis multa crudeliter in bello egerit, insigne tamen Christianae religionis studium prae se tulit: [7] neque minor Olai, Suecorum Regis, in ea pro-

† A. 1036.

De legatione Apostolica Archiepiscoporum Hamburgensium.

Canuti Regis elogium.

Aa

Conradus cum Rege Danorum, siue Anglorum, mediante Archiepiscopo Vnuano, pacem fecit, cuius & filiam filio suo deposcens vxorem, dedit ei Sleswigh ciuitatem cum Marcha, quae trans Eydoram est, in foedus amicitiae, & ex eo tempore fuit Regum Daniae.

4) De hoc connubio inter Henricum Regem, & Cunehildin, iam in praecedentibus actum. Ex Anglicis Scriptoribus conspirat cum Germanicis HVNTINDONIENSIS, scribitque, *Canutum filiam suam Imperatori Romano, cum ineffabilibus diuitiis maritasse.* CHRONOGR. SAXO haec sponsalia refert ad A. 1026. sed parum accurate. Rectius ANNALES HILDESH. ad A. 1035. memorant, Bambergae, vbi Imperator dies festos Pentecostes tum obiit, *Henrico Regi filiam Chnut, Regis Danorum, iuramentis desponsatam esse.* PAGIVS ad A. 1035. n. 7. propterea quod WIPPO has nuptias ad A. 1036. commemorat, Hardecanutum, Canuti M. filium, sororem suam desponsasse scribit, laudatque antiquum sententiae suae Auctorem, WESTMONASTERIENSEM. Sed haec conciliari facile possunt. Desponsauit Canutus filiam: nuptiae autem ipsae post mortem eius celebratae sunt.

5) ANN. HILDESH. ad A. 1036. *Ibi filio Imperatoris, Henrico Regi, venit Regina Cunehild nomine, qui ibidem in natali Apostolorum Regalem coronam accepit, & mutato nomine, in benedictione, Cunigund dicta est.*

6) AD. BREMENS. Lib. II. cap. 35. *Vnwanus igitur Archiepiscopus, cum esset vir nobilissimus, aeque nobilem, ac sufficientem libertati suae fortitus est Episcopatum, in quo & suam posset ostendere magnitudinem, & necessitati simul Ecclesiae prodesse. Quare thesaurum Ecclesiae, diu soliciteque collectum, & quasi minus necessarium, si infra parietes clauderetur, ipse ad commodum suae Legationis, ita curauit expendere, vt ferocissimos Aquilonis Reges hilaritate suorum munerum ad omnia, quae voluit, benignos obedientesque haberet.*

7) Laudat illum hoc nomine ADAMVS BREMENSIS. Neque pigebit ad illustrandam clarissimi illo aevo Regis memoriam, vnum alterumue locum ex Scriptoribus eius temporis hic adiicere, qui ad confirmandum ADAMI BREMENSIS testimonium facere possunt. Laudat pietatem Canuti, & in loca sacra munificentiam, ENCOMIASTES Emmae Reginae, (inter Script. Rer. Norman. p. 173.) aitque: *Regem*

CONRADVS II. promouenda solicitudo effulsit. [8] Maxima fuit Danici nominis, Canuto Rege, celebritas, cum praeter auitum Regnum Angliam quoque & Noruegiam in potestate haberet. Mortuo illo [9] imminuta est vis tanti imperii, regnis inter filios diuisis. Suano pater Noruegiam superstes dederat: Hardecnuto Daniam moriens reliquit: Haraldum Angli Regem elegerunt.

XIV.

Conradus in Italiam mouet.

Imperator pacata vbique Germania, A. MXXXVI. exeunte in Italiam mouit, vna cum filio Henrico Rege, habuitque in comitatu Hermannum Sueuiae, & Conradum, Francorum Ducem, cui paullo ante Carinthiae Ducatum, proscripto Adalberone, dederat. [1] Flagrabant tum maxime

Ciuiles per Italiam motus.

mutua inter Nobilitatem, & plebem odia, vetus Italiae malum. [2] Occasio illorum ex diuersa militiae quae

mox, vt ingressus monasteria erat, defixis in terram luminibus cum lacrimis incessisse, oblationibus regiis sacra cumulasse altaria, pauimento cum multis lacrimis infixisse oscula, & pectus saepius percussisse. Haec, & alia his mirificentiora, inquit ENCOMIASTES, *a domino* (Cnutone) *gesta, vidi ego vester vernula, sancte Audomare, sancte Bertine, cum fierent vestris in coenobiis: pro quibus bonis tantum Regem impetrate viuere in coelestibus habitaculis; vt vestri famuli, Canonici & Monachi, sunt orantes orationibus quotidianis.* FVLBERTVS autem, Episcopus Carnotensis, Ep. 97. quae inscribitur: NOBILISSIMO REGI DANOMARCHIAE, CNVTO, ita inter alia: *Quando munus tuum nobis oblatum vidimus, sagacitatem tuam, & religionem pariter admirati sumus. Sagacitatem quidem, quod homo nostrae linguae ignarus, longoque a nobis terrae marisque interuallo diuisus, non solum ea, quae circa te sunt, strenue capessas, sed etiam ea, quae circa nos, diligenter inquiras. Religionem vero, cum te, quem paganorum principem audieramus, non modo Christianum, verum etiam erga Ecclesias, atque Dei seruos, benignissimum largitorem agnoscimus.*

8) ADAM. BREM. II. cap. 41. *Haec est ciuitas Scarane maxima, in qua, petente Christianissimo Rege Olaph, primus ab Vnwano Archiepiscopo, Thurgot est ordinatus Episcopus.*

9) Obiit Canutus Rex A. 1035. prid. Id. Nou.

§. XIV. 1) ANN. HILDESHEIMENSES ad An. 1036. *Purificationem sanctae Mariae Augustburg egit. Vbi & publicum cum cunctis circumiacentium regionum primoribus conuentum habuit, in quo patrueli suo, Conrado, Ducatum Carentinorum commisit. Adalberonem, Maiestatis reum, priori anno dimouit.*

2) LIVIVS XXIV. 2. *Vnus velut*

quae omnis tum per diuersos Vasallorum Ordines administrabatur, ratione, querentibus inferiorum ordinum militibus, (quos Valuasinos vocauit posterior aetas) a maioribus Vasallis iniquius se haberi. † Ea aemulatio Mediolani primum orta, mox per alias diffusa ciuitates, in vim apertam eruperat. Iamque ad praelium res inter Nobiles & plebeios venerat, ex quo inferior discessit pars Nobilium. Heribertus, Archiepiscopus Mediolanensis, & alii aliquot Episcopi, minoribus Vasallis fauebant. Nec parum ad auctoritatem Praesulum amplificandam conducere poterat, si multitudinem aduersus Ducum, Comitumque potentiam, sibi addictam tenerent. Imperator celebratis Veronae Natalitiis, per Brixiam, & Cremonam[3] Mediolanum processit. Ibi honorifice primum exceptus est. Vbi vero apparuit, Nobilitati illum fauere, auersi ciuitatis animi in rixas, & tumultus eruperunt. Conradus quidem Ticini in publico conuentu legum auctoritate † ad pacem, & concordiam reuocare animos instituit. Sed optimum consilium fortuita res in contrarium vertit. Dum enim Heribertus, quem Nobilissimus quisque praecipuum coniurationis fautorem designabat, publice de vi accusatur, atque peruicacius respondet Imperatori, vehementer exacerbati sunt animi. Captiuum attineri Archiepiscopum Princeps iubet, ac Popponi, Patriarchae Aquileiae, & Conrado, Carinthiae Duci, in custodiam dari. † Iam Placentiam deducebatur, iamque ad Trebiam amnem fixa stabant tentoria, cum custodes, epulis ante & multo mero inuitatos, fallit, saluusque Mediolanum redit, vbi summis exceptus

CONRADVS II.

† v. not. in f.

Imperator Ticini conuentum habet.
† v. not. in f.

Heribertus, Archiepiscopus Mediolanenses ad defectionem concitat.
† Wippo, p. 441.

Aa 2 stu-

morbus inuaserat omnes Italiae ciuitates, vt plebes ab optimatibus dissentirent.

3) OTTO FRISINGENSIS Chron. Lib. VI. c. 31.

CONRADVS II.

Papa Benedictus Cremonam ad colloquium venit.

ſtudiis, facile vrbem omnem ad apertam defectionem commouit. Romae tum Pontificatum obtinebat Benedictus IX. e domo Comitum Tuſculanorum, familiae ſuae, & praecipue patris, Alberici Conſulis, largitionibus ad id faſtigium euectus. Qui cum multorum odiis agitaretur, vt Imperatoris animum ſibi certius conciliaret, obuiam proficiſci ad colloquium ſtatuit.[4] Eum Cremonae excepit Conradus. Caeterum Mediolanenſes armis ad obſequium redacturus, Synodum etiam cogit, in qua Heriberto, Epiſcopatus abrogatur. Imperator eum Ambroſio, Canonico Mediolanenſi, Capellano ſuo, confert.[5] Sed Heribertus & diras Pontificis,[6] & iram Imperatoris impune ſpreuit. Neque Conradus vrbe, neque Ambroſius Epiſcopatu potitus eſt.

XV.

Itali Ottonem, Comitem Campaniae, aduerſus Imperatorem ſolicitant.

Heribertus potius, confiſus frequentiſſimae vrbis erga ſe ſtudiis, cum & clientelis polleret, ac Epiſcopos plures ſibi addictos haberet, maius aliquod Imperatori ipſi faceſſere negotium parauit.[1] Itaque ipſe, & Epiſcopi

4) WIPPO, p 441. *Eodem tempore Papa Cremonae occurrebat Imperatori, & bonorifice receptus, & dimiſſus, Romam reuerſus eſt.* HERM. CONTR. ad An. 1037. *Papa Benedictus Cremonam ad Imperatorem venit.* Idque OTTO FRISINGENSIS l. c. repetit.

5) ARNVLPHVS Lib. II. c. 14. *De quo cum Rex leniri debuerat, magis intumuit, in tantum, vt Heribertum adiudicaret propria dignitate priuandum. Stabilita igitur deliberatione, Praeſulatum tradidit Ambroſio, Mediolanenſis Eccleſiae Cardinali Presbytero, ſuoque Capellano, etſi videntibus, non tamen volentibus Epiſcopis.*

6) HERMANNVS CONTRACTVS ad An. 1038. *Papa Archiepiſcopum Mediolanenſium Imperatori adhuc rebellantem excommunicat.* Quod confirmant ANNAL. HILDESHEIM. ad e. a. *Praedictus Mediolanenſium Metropolitanus, ab Apoſtolico Pontifice, poſt iuſtas crebras admonitiones, communi Epiſcoporum decreto, in Paſchis anathematizatus, & a coetu fidelium eſt ſegregatus. Qui nihilominus in ſua obſtinatione perdurauit, & Imperatori, pro poſſe, in omnibus, per praeſentem, & etiam ſubſequentem annum incommodauit.*

§. XV. 1) Hanc coniurationem vetuſti Scriptores omnes commemorant. Praeter ANNALES HILDESHEIMENSES, ab Auctore, illorum temporum aequali, conſignatos, ita rem refert ANNAL. SAXO ad A. 1037. *Deinde conſentientibus ſibi tribus Epiſcopis, miſſis clam nunciis, cum Ottone, Burgundiae tyranno, conſiliatur, quomodo ipſe in Romanum Imperium, ſuo ſuorum-*

ſcopi inprimis Vercellenſis, Placentinus, & Cremonenſis, Ottonem, Campaniae Comitem, ſolicitant, vt arma contra Conradum capiat: regnumque adeo ipſius Italiae offerunt. Eius coniurationis indicium tempeſtiue ad viduam Manfredi Marchionis, ſocrum vero Hermanni, Sueuiae Ducis, delatum eſt, & legati ipſi, per quos res agebatur, a ſatellitibus eius capti ſunt. Tum Imperator tres illos Epiſcopos, per diuerſa Germaniae loca in exilium miſit.[2] Campanus autem minime deterritus, in Lotharingiam excurrit, † Barrum, proximum in illo limite caſtrum, occupat, agros quoque Tullenſis Eccleſiae vaſtat, Brunoni Epiſcopo, cognato Imperatoris, maxime infenſus † iactitatque Aquisgrani celebraturum ſe Natalitia.

CONRADVS II.

Is Lotharingiam infeſtat.

† A. 1037.

† v. not. in f.

que iuuamine, Auguſto necato, introducatur. Quod ipſe libenter audiens, eiusque conſilium, bianti cupiditate euidenter ad interitum feſtinando, promtus arripiens, diem locumque determinat, quo eorum omnium legati conuenirent, qui eiusdem ſacrilegae temeritatis conſpirationem iuramentis inuicem confirmarent. Quod & factum eſt. Sed, vt quidam Sapiens ait, conſilium contra Deum infatuatur. Nam ſocrus Hermanni, Sueuorum Ducis, legatorum conuentum reſciuit, miſſisque ſatellitibus, omnes ſimul comprebenſos, veritatemque confeſſos, Imperatori, vbi in publico conuentu, eisdem praenominatis tribus Epiſcopis praeſentibus, conſederat, transmiſit. Auguſtus vero cum fidelibus Chriſti, condignas Deo, qui reuelat arcana, gratiarum actiones agens, ex Senatus decreto praedictos Epiſcopos trans Alpes conſeruandos contulit, ſicque illa conſpiratio deperiit. Ex Italicis Scriptoribus conſentit ARNVLPHVS Lib. II. cap. 14. *Quo Heribertus audito, de Rege ſimiliter tractat honore priuando. Secreta igitur legatione ſuggerit Oddoni, potenti Francorum Comiti, vt ſe fauepte arripiat regnum Italiae. Qui nihil moratus, vtpote regnandi auidus, primo quidem aliquas Alamanniae partes violenter inuadit. Hunc impugnans viriliter Dux Gotbefridus, vebementi facta congreſſione, in momento proſtrauit, eiusque caput auulſum bumeris fertur Auguſto in Italiam diuexiſſe.* Ex Gallicis GLABER RODVLPHVS Lib. IV. *Praeſtolabantur* (Ottonem) *legati ex Italia directi, deferentes ei arram Principatus totius Italiae regionis. Conteinſerant enim ſuum Principem, Conradum, Mediolanenſes. Exiſtimabant quoque, eundem Ottonem poſſe percipere regnum Auſtraſiorum, atque ad eos tranſire &c.*

2) ANNAL. HILDESH. ad An. 1037. *Placentinus, Cremonenſis, Vercellenſis, alii etiam Epiſcopi quidam, Maieſtatis rei, quia cum praedicto Archiepiſcopo, & Vdone, tyranno ſaepe memorato, contra Imperatorem conſenſerant, captiui ad nos in diuerſa loca exiliati ſunt.*

CONRADVS II.

talitia. [3] Sed Gothelo, Dux Lotharingiae, cum filio Godfrido, & Gerhardus Alſatius, Comes, cum militibus Epiſcopi Metenſis ei ſe obiiciunt. Cruento praelio prope Odornam † fluuium concurritur. In eo Otto multis acceptis vulneribus cecidit. Vexillum eius ad Imperatorem pro tropaeo in Italiam mittitur. [4] Ita motus, qui noua Burgundiae, & Italiae diſcrimina minitari videbatur, in primo turbine oppreſſus eſt.

† Orne.

Et praelio cadit.

XVI.

Conradus Romam tendit.

Interea Imperator cum fruſtra tentari Mediolanum cerneret, dilata vltione, appropinquante hieme, Romam contendit: quae vrbs & ipſa foedo laborabat tumultu, expulſo ab aduerſa factione Benedicto Papa. † Natalitia in caſtris prope Parmam celebrauit. Ibi Bonifacium, Marchionem Tuſciae, de prouincia ſua inueſtiuit, [1] clariſſimum illo aeuo

† v. not. in f.

3) Irruptionem Ottonis in Lotharingiam, & interitum, diſtinctius commemorant ANN. HILDESH. ad An. 1037. *Praenominatus ergo Vdo, Imperatore Italiae partes procurante, Lotharingiam, iuxta Marcam Gozelonis Ducis, eiusque filii Godefridi, tyrannice inuaſit, & ciuitatem, quae Bera dicitur, iniuſta praeſumtione occupauit, iuxta quam ab iisdem Ducibus occupatus, conſertoque praelio inter primos inglorius occubuit: iuſtasque diuinae vltioni, poſt effracta iuramenta, poenas exſoluit. Ab ipſis ſane victoribus ignoratus, in craſtinum inter vulgus inuentus eſt nudus: vita pariter & regno, quod ſibi uſurpans affectabat, ſpoliatus.* Add. CHRONOGR. SAXO ad An. 1037. *Item ſaepe dictus Otto Comes, quia in priori machinatione condignum exitum ſibi non inuenit, alia via, diuina eum propellente ſententia, perire tentauit. Nam ante ruinam, corde elato, Aquisgrani palatium inuadere decreuit, ſeque Natiuitatem Domini inibi ſeſſurum praeiactauit. Sicque menſis tantum ſpatio, ante idem feſtum, vrbem Imperatoris, quae Bera dicitur, circumquaque debacchatus, praedando obſedit, ibique a Gozelone Duce, & filio eius, circumuentus, inter vulgares occiſus, inglorius incubuit.* Suppleri haec poſſunt ex WIPPONE, p. 441. *Eodem anno, praefatus Comes Odo de Francia, in Regno Imperatoris loca quaedam inuadens, a Gozelone, Duce Lotharingorum, & filio ſuo, Godefrido, & Gerhardo Comite, atque a militia Epiſcopi Metenſis, pugna commiſſa cum illo, fugiendo interfectus eſt, & vexillum eius Caeſari in Italiam allatum, hoſtem interemtum teſtabatur.*

4) Vid. loca ſupra not. 3. adducta. MABILLONIVS Ann. Lib. LVII. n. 82. ex Necrologio S. PETRI CARNOTENSIS commiſſum praelium ſcribit D. 15. Nouembr.

§. XVI. 1) Inueſtituram deſcribit, veteriſque pacti feudalis formulam apte

CONRADVS II.

aeuo inter Italiae Principes, tam ob potentiam, quam affinitatem cum Imperiali familia. Siquidem paulo ante Beatricem, filiam Friderici II. Ducis Lotharingiae Superioris, ex Mathildi Sueuica, Gisilae Augustae sorore, duxerat. Caeterum vrbs Parma, orto inter ciues atque milites iurgio, deformata est diro incendio, & praeterea Imperator, vt maiorem reliquis ciuitatibus terrorem incuteret, partem murorum dirui praecepit. Superato Apennino per Etruriam incessit. Eius itineris memoriam Monachi Vallumbrosani nobis seruarunt. Namque hoc forte tempore S. Iohannes Gualpertus, Florentinus, ex eremo Camaldulensi, nouam hominum religiosorum coloniam, in Vallem Vmbrosam (medio locum itinere inter Florentiam & Camaldulum) deduxerat. Quam fama celebrari cum Florentiae audiuisset Imperator, ex Comitatu suo Rudolphum, Episcopum Paderbornensem, misit, qui constructum illic Oratorium consecraret. [2] Neque mihi a ratione Historiae alienum visum est, armorum strepitum, quo tota fere hoc aeuo personat, commemoratione operum pietatis, paulisper mitigare. Solenne sane fuit Germanicis Imperatoribus fiduciam imperii a reuerentia Numinis sumere, vtque bello erant asperrimi, ita mites se facilesque praebuerunt Ecclesiae.

Parmam tumultuantem castigat.

Iter per Etruriam.

Resti-

exprimit DOMNIZO in Vit. Mathildis, p. 648. vbi ita de Conrado:

Vt iuraret ei, rogat ipsum, more fidelis:
Ac ideo dixit, quod Marchia seruiet ipsi,
Redderet atque vicem iurandi Rex sibi: quippe
Annuit hoc Regi Bonifacius, atque peregit.
Voceque mox viua iurauit Rex sibi vitam,
Atque suos artus, & honorem Principis aptum,
Absque dolo, recte seruare per omnia semper
Donec eis vita subsisteret, hoc ita firmant.

2) Conf. GVID. GRANDVS Diss. Camaldul. II. p. 51. seq. Itemque P. BOLLANDVS in Comment. ad Vit. S. Iohannis Gualperti (in Actis SS. ad D. 12. Iul.) n. III. p. 332. Hi quidem Scriptores An. 1037. id factum tradunt. Sed constat Imperatorem anno sequente demum in Etruriam venisse.

CONRADVS II.

XVII.

Imp. Benedictum restituit.

† v. not. in f.

Restituto Romae Benedicto Papa, ordinatisque de Procerum sententia Imperii rebus, † aduersus Pandulphum, Principem Capuae, militem ducit. Grauiter ille res monasterii Casinensis afflixerat, capto Abbate Theobaldo, & praediis monasterii inter Normannos, adscriptos militiae suae, distributis. Neque identidem monitus ab Imperatore finem faciebat iniuriae. In hoc itinere Casinense sacrarium inuisit Conradus. [1] Vbi Capuam peruenit, causa in consessu Procerum cognita, Pandulfo Principatum ademit, ac Guaimario, Salernitanorum Regulo, dedit. [2] Beneuentum quoque, & reliquas eius limitis vrbes lustrauit, intentus sopiendis litibus, quae inter veteres colonos, nouosque aduenas Normannos, de agris finibusque passim gliscebant. [3] Ex Apulia, per Picenum, iter relegit. [4] Exercitum vero mense Iulio & Augusto dira mortalitas, (qualis saepe Italicas Germanorum expeditiones funestauit) paene exhausit. Ipse Imperator aegrotauit, [5] ac duplici funere luctuosam domum habuit, nempe Cunehildis Reginae, & Hermanni, Sueuiae Ducis, priuigni sui. [6] Eius Ducatum filio Henrico Regi,

Capuae Principatum abrogat Pandulfo.

Limitem Apuliae ordinat.

§. XVII. 1) LEO OSTIENSIS Lib. II. cap. 65.

2) LEO OSTIENSIS Lib. II. cap. 65. *Imperator consilio tam cum suis, quam cum Capuanis Magnatibus habito, Guaimario, Salernitano Principi, Capuani tradidit Principatus honorem.* Guaimarius hic IV. numeratur.

3) WIPPO p. 442. *Imperator ad terminos Imperii sui perueniens, Troiam, Beneuentum, & Capuam, aliasque ciuitates Apuliae, lege & iustitia stabiliuit, dissensiones, quae erant inter Normannos extraneos, & indigenas, sola iussione sedauit, & cunctis offensionibus de regno sublatis, feliciter est reuersus.* Normanni ipsi, aucti numero, graues esse incipiebant veteribus colonis: & paullo ante Conradi aduentum noua colonia superuenerat.

4) LEO OSTIENSIS Lib. II. cap. 65. *Beneuentum concessit. Indeque vltra montes, post dies non plurimos, per Marchias repedauit.*

5) ARNVLPH. MEDIOL. Lib. II. cap. 9. *Rex repatriauit in Sueuiam, aeger pedibus, & cunctis debilis artubus.*

6) WIPPO p. 442. *Filius Imperatricis, Hermannus, Dux Alemannorum,*

CONRADVS II.

Regi, qui Bauariam iam obtinebat, dedit.[7] Antequam Italia excederet, Conuentum Veronae habuit, hortatusque eſt omnes, quorum fidei quam plurimum tribueret, vt quanta quisque vi poſſet, arma aduerſus Mediolanenſes pararent. † Hi vero non minus fortiter ad defenſionem ſeſe comparauerunt. In eo bello Heribertus Archiepiſcopus nouum excogitauit vexilli genus, quod currui impoſitum (unde Carrocii nomen ortum eſt) imaginem Saluatoris crucifixi late per exercitum oſtentabat.[8] Id deinde alii Itali imitati ſunt: & frequens adeo Carrocii apud ſequentium temporum Scriptores mentio occurrit. Sed Heribertum denique, poſt mortem Conradi Imperatoris, cum filio Henrico, in concordiam rediiſſe, ſuo loco dicemus.

† WIPPO p. 442.

XVIII.

Henricus coronatur Rex Burgundiae.

† An. 1038.

Imperator reuerſus in Bauariam, vbi militem aliquantulum refecit,[1] autumno eius anni † conuentum Burgundorum Soloduri habuit. Ibi in aede S. Stephani, Henricus Burgundiae Rex coronatus eſt:[2] quamquam & tum quo-

Bb

Iuuenis bonae indolis, & in rebus bellicis ſtrenuus, eadem peſte grauatus, inter manus peritiſſimorum Medicorum, V. Kal. Aug. non ſine magno Imperii detrimento obiit.

7) HEPIDANVS: *Herimannus, Dux Alemannicus, obiit, cuius Ducatum idem Rex* (Henricus) *a patre ſuo, eodem anno percepit.*

8) Carrocium, quod tum excogitavit Heribertus, ita deſcribitur ab ARNVLPHO, Lib. II. cap. 16. *Signum autem, quod dimicaturos ſuos debebat praecedere, tale conſtituit. Procera trabs, inſtar mali nauis, robuſto confixa plauſtro erigitur in ſublime, aureum geſtans in cacumine pomum, cum pendentibus duobus candidiſſimi veli limbis. Ad medium veneranda crux, depicta Saluatoris imagine, extenſis late brachiis, ſuperſpectabat ſuperfuſa agmina, ut qualiscunque foret belli euentus, hoc ſigno confortarentur inſpecto.*

§. XVIII. 1) WIPPO, p. 442. *Reverſus Imperator in Boioariam, aegrotantem exercitum medicinis & conſilio reficiebat.*

2) IBID. *Eiusdem anni autumno Burgundiam adiit, & conuocatis cunctis Principibus Regni, generale colloquium habuit cum eis: & diu deſuetam, ac paene deletam legem tunc primum Burgundiam praelibare fecerat. Transactis tribus diebus generalis colloquii, quarta die, primatibus regni cum vniuerſo populo laudantibus, atque rogantibus, Imperator filio ſuo, Henrico Regi, regnum Burgundiae tradidit, eique fidelitatem denuo iu-*

CONRADVS II.

quoque nonnulli Proceres auersis mansere animis, quos sequentibus demum annis redactos ad officium reperio. Tentabat tum Imperator Burgundos ad obseruandam pacem publicam assuefacere: eamque rem Episcopi passim synodalibus decretis iuuabant, sancientes, vt certi per hebdomadem dies vacarent ab armis, certaque hominum genera, semper ab omni vi immunia essent, [3] Qui modus induciarum Treuga Domus Dei dictus est. [4] Ordinato, prouti res ferebat, Burgundiae statu, Imperator Franciam, atque alias inde Germaniae prouincias obit, cupidus pacis legibus & iudiciis firmandae. In Thuringia tum Ludouico Comiti (barbatum cognominant) praedia quaedam donauit[5]: quod propter celebritatem, ad quam posteri eius peruenerunt, hic notari meretur. Siquidem ab hoc Ludouico, quem Carolingico editum sanguine vetus fama fert, [6] stirps deinde Landgrauiorum Thuringiae orta est. Solemne Pentecostes Vltraiecti agentem Conradum An. MXXXIX. subita mors occupauit. [7] Exta ibidem terrae mandata sunt: corpus Spiram trans-

De Treuga Domus Dei.

Ludouicus, auctor generis Landgrauiorum Thuringiae.

Imperator Vltraiecti moritur.

vare fecit. Quem Episcopi, cum caeteris Principibus, in Ecclesiam Sancti Stephani, quae pro capella Regis Soloduri habetur, deducentes, hymnis, & canticis Deum laudabant, populo clamante, & dicente, quod pax pacem generaret, si Rex cum Caesare regnaret.

3) GLABER L. IV. cap. 5. p. 45. *Per Arelatensem prouinciam, atque Lugdunensem, sicque per vniuersam Burgundiam, vsque in vltimas Franciae partes, per vniuersos Episcopatus indictum est, qualiter certis in locis, a Praesulibus, Magnatibusque totius patriae, de reformanda pace - - celebrarentur Comitia.*

4) Conf. Sermo & Confirmatio S. Patrum Sanctae Treugae Dei, in MARTENII Thes. Anecd. Tom. I. p. 161.

5) Vid. Diplom. apud Scriptorem de Landgrauiis Thuringiae, cap. 2.

6) Hunc Ludouicum filium fuisse Caroli, Ducis Lotharingiae, praeter PAGIVM, supra Lib. III. §. 19. laudatum, agnoscit BLONDELLVS T. II. Plenior. Assertion. p. 34. 35. Add. TENZELIVS in Supplem. Hist. Gothanae p. 414. Ab ea quidem sententia recedit ECCARDVS, in Origin. Domus Saxonicae, p. 317. & aliam init viam, qua Ludouicum hunc ex Carolino genere deducat. Sed omnis eius ratio coniecturis tantum nititur.

7) ANN. HILDESH. ad A. 1039. p. 729. *Conradus ad celebrandum Pen-*

CONRADVS II.

translatum, quae vrbs ſaepius ab eo tempore, ſepulcrum dedit Imperatoribus, & Regibus Romanorum. In curando funere Henricus Rex ſingulare pietatis documentum praebuit, humeros ipſe feretro ſubiiciens, quoties, dum per vrbes iter fit, ſarcophagus ad ſacram aliquam aedem deferendus eſſet. [8] Conradus ſane praeſtantiſſimis Principibus merito accenſetur, cum ob prudentiam & fortitudinem, tum ob alacritatem & conſtantiam in rebus agendis. [9] Aeque intentus animo fuit in ſacrorum reuerentiam, & militarem diſciplinam, praecipua duo Reipublicae fulcra, illo maxime aeuo, quo nondum omnia pacis bona Germania nouerat. Epiſcopatus, & Monaſteria non niſi probatiſſimis viris dedit. Militum vero beneficia liberis etiam, & nepotibus lubens reliquit,[10] quae res ad conciliandum illorum amorem multum conduxit, ſimulque inſeruiit acquirendo & firmando hereditario in feuda iuri, quod ſucceſſu temporis magis magisque inualuit.

Elogium Conradi.

 HEN-

tecoſten Traiectum venit, & ibi quidem ſanctum diem in ſumma laetitia peregit. - - Sed ſequente die, feria ſecunda, ſubita defectione praereptus, fideliter exſpirauit. WIPPO p. 443. diem deſignat prid. Non. Iun.

8) WIPPO, p. 443. *Sicut percepimus, referente Epiſcopo Henrico Lauſanenſi, cum caeteris Burgundionibus, qui illum de obitu usque ſepulturam proſecuti ſunt, filius Caeſaris, Henricus Rex, ad omnes introitus Eccleſiarum, & ad extremum, ad ſepulturam, humeros ſuos corpori patris, vltra modum humili deuotione, ſuppoſuit.*

9) Agnoſces eximium Principem, vel ſub rudi penicillo WIPPONIS, p. 430. *Suſpicioſum eſt relatu, quam munificus fuit, quam iucundus, quam conſtantis animi, quam imperterriti, bonis omnibus blandus, malis ſeuerus, in ciues benignus, in hoſtes acerbus, in rebus agendis efficax, quam maximo vſui foret regno, infatigabilis erat: in breui tantum perficiens, vt nemo dubitaret, poſt Caroli M. tempora aliquem regali ſede digniorem non vixiſſe: vnde conſtat prouerbium: Sella Conradi habet Aſcenſoria Caroli.*

10) WIPPO, p. 430. *Militum autem animos in hoc multum attraxit, quod antiqua beneficia parentum, nemini poſterorum auferri ſuſtinuit.* Extant huius rei veſtigia in CONSVETVDINIBVS FEVDORVM, I. F. I. §. 2. & diſertius in ipſa lege Conradi, inter leges Longobardorum (Tom. I. P. II. Script. Rerum Italicarum editas) p. 177. *Praecipimus etiam, cum aliquis eius miles, ſiue de maioribus, ſiue de minoribus de hoc ſeculo*

HENRICVS III.

XIX. Henricus Rex, Italicos motus componit.

Henricus Rex, iam ipſe capeſſens Imperii habenas, ſtatim obire prouincias, prouidere vbique, ne quid initia Regni turbaret. In conuentu Auguſtae Vindelicorum pacandae etiam Italiae inita eſt ratio: & paulo poſt ipſe Heribertus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, Ingelheimum ad comitatum venit, ac cum Rege in gratiam rediit. [1] Rex ipſe Bohemico bello in Germania diſtinebatur. Bretislaus enim, Bohemorum Dux, Othelrici filius, fretus viribus ſuis, & Petri, Hungariae Regis, auxiliis, detrectabat obſequium. Praeterea vniuerſam fere Poloniam, vſus opportunitate, quam diſcordiae ciuiles praebebant, miſere vaſtauerat. Polonici Scriptores Poſnaniam, Gneſnam, Cracouiam, aliasque vrbes, ab eo occupatas, & Gneſnae tumulum S. Adalberti donariis ſpoliatum memorant. Bohemi ipſas ſacras exuuias in illa populatione auectas addunt. [2] Seuerus etiam, Pragenſis Epi-

Bretislaus, Bohemorum Dux, obſequium detrectat.

Idem Poloniam populatur.

migrauerit, filios eius beneficium tenere. Si vero filios non habuerit, & Habiaticum ex maſculo reliquerit, pari modo beneficium habeat, ſeruato uſu maiorum Valuaſſorum, in dandis equis & armis ſuis ſenioribus.

§. XIX. 1) ANNALISTA SAXO. ECCARD. ad A. 1040. *Nouus Rex Incarnationem Domini Ratisbonae decenter peregit, & Purificationem Sanctae Mariae, Auguſtae degens, Placitum habuit cum Ciſalpinis Principibus, de Reipublicae ſtabilitate, cunctisque pro velle diſpoſitis, Franciam repetens, tempus Quadrageſimae, iuxta Rhenum, in locis opportunis conſedit; Paſcha vero in Egelenheim honorifice feriauit: vbi ad eum Primates Burgundiae humiliter cum muneribus venerunt, qui inde laeti, gratia ipſius ſimul & muneribus condonati, redierunt. Illuc etiam poſt Paſcha Metropolitanus Mediolanenſis aduenien̄s, & de omni ſua controuerſia, quam contra Imperatorem Conradum exercuit, ſatisfaciens, interuentu Principum, gratiam Regis promeruit, & iterum iuramentis pacem fidemque ſe ſeruaturum affirmauit: ſicque Regem Agrippinam proſecutus, inde ad patriam cum pace ſimul & gratia Regis remeauit.*

2) Loca collegit HANCKIVS in Libr. de Rebus Sileſior. p. 224. ſq.

HENRICVS III.

Episcopus, subducere se Metropoli Moguntinae cupiebat, Palliumque petebat a Pontifice.[3] Regnabat tum apud Polonos Casimirus, Micislai filius, quem e monasterio Cluniacensi, in quo obstrictus iam voti religione delituerit, protractum ad Regnum scribunt. † Vnum laboranti Poloniae remedium in auctoritate & potentia Regis Henrici fuit. Isque lubens Casimirum tuendum suscepit, quem praeterea non cognatio modo, & matris Richenzae preces commendabant; sed auunculi etiam duo, gratiosi apud Regem, Hermannus, Archiepiscopus Coloniae, & Otto, Palatii tum Comes, postea Sueuiae Dux.

Casimirus Rex Henrici opem implorat.

† v. not. in f.

XX.

Itaque An. MXL. medio mense Augusto, aduersus Bohemum arma mouet, sed infausto euentu.[1] Praemissus a Rege Otto Suinfurtensis Marchio, cum Bauaro milite, in ipso aditu Bohemiae repulsus est, multis suorum caesis, aut captis.[2] E Misnensi regione progredientes Eccardus II. Marchio, & Bardo, Archiepiscopus Moguntinus, prope Donam, inclytum quondam in illo limite castrum, conuenere. Cum per nouem dies populati essent agros, & ipsi inducias pacti sunt.[3] Aestate Anni MXLII. fortuna magis propitia res acta est. Hinc Henricus e Bauaria, inde Ec-

Henrici aduersus Bretislaum arma.

Eccardus, Marchio Misniae, in Bohemiam irrumpit.

Altera aduersus Bohemiam expeditio.

3) Vid. §. seq. not. 5.

§. XX. 1) ANNALISTA SAXO, ab ECCARDO editus, ad A. 1040. *Rex Ascensionem Domini Niumago, Pentecostem vero Leodio celebrauit. Deinde expeditionem suam in regionem Boëmiae,* PRO VASTATIONE POLONIAE *destinauit, & eo properans exercitum in Assumtione S. Mariae, Camba adunauit.*

2) ANNAL. SAXO l. c. Inter caesos memoratur Werinerus, *Comes Primicerius, & Signifer Regis.*

3) ID. l. c. *Saxones autem cum Metropolitano Moguntiae, Bardone, & Ekkebardo Marchione, in praedicta S. Virginis festiuitate, Donin conuenerunt, & eandem regionem, diuina eos, vt claruit, protectione comitante, cum parua admodum manu, die Dominica IX. Kalend. Septembr. violenter introierunt, & per IX. dies, potestatiue peragrantes caede, praeda, incendioque vastauerunt; donec tandem venerabili viro, Guntario Monacho, cum legatione Regis adueniente, pace data, & accepta, victores exierunt.*

HENRICVS III.

Eccardus Marchio, & Archiepiſcopus Moguntinus, cum Saxonum manu, ingreſſi Bohemiam, ad Muldam fluuium, prope Pragam, conſident. [4] Ibi Seuerus, vrbis Epiſcopus, relicto Duce, in caſtra venit, ac gratiam Regis implorat. Moguntinus enim ſynodali in illum iudicio, ob Eccleſias Poloniae tam grauiter afflictas, acturum ſe minitabatur. [5] Diuerſis inde itineribus exercitus diffuſi, vbi longe lateque flamma & ferro graſſati ſunt, circa feſtum S. Michaelis Pragam reuertentes, in Monte Albo, qui vrbi imminet, caſtra iungunt. Tum denique Bretislaus ipſe, conciliante Marchione Eccardo, Regi ſe permiſit. Henricus Ratisbonam ſe recepit, eoque inſecutus Bohemus, pacem ad conditiones, de quibus interea conuenerat, ſanciuit, fidemque & tributum ſpopondit. [6] Eodem tempore Polonica cauſa compoſita eſt, aſſertumque Caſimiro Regnum, & deſignati vtriusque populi fines. Neque Caſimi-

Bretislaus ad obſequium venit.

Polonica cauſa componitur.

4) IBID. ad An. 1042. *Eodem ferme tempore, Ekkibardus Marchio, cum Moguntino Archiepiſcopo, aliisque Epiſcopis, & Primatibus, altera ex parte expeditionem Saxonum inuexit, illamque regionem incendiis, aliisque populationibus admodum vaſtantes in Natiuitate S. Mariae, non longe a Praga ciuitate, in ſubteriori eiusdem vrbis parte, caſtra metati ſunt: ex vno latere fluminis Multe exercitus Regis, & ex alio Ekkibardo Marchione cum Saxonibus.*

5) IBID. *Interim Seuerus, Pragenſis Epiſcopus, comperit, Bardonem Moguntinum Metropolitanum, ſynodali iure eum velle inquietare, eo quod deſtructor eſſet Eccleſiarum Poloniae, & reliquias Sancti Adalberti, & aliorum Sanctorum ibi quieſcentium raptu tranſtuliſſet in Boëmiam, pallium autem apud Apoſtolicum contra ius & fas ſibi vſurpare vellet. Idcirco Duce ignorante, clam ad Regem venit, ac ſe de his omnibus plene ac fideliter excuſauit, & vlterius Duci non confidens, manſit apud Regem.*

6) IBID. *Rex vero, & Marchio, inde mouente caſtra, ex vtraque parte fluminis Multe longe lateque vaſtauerunt Boëmiam, donec in feſtiuitate S. Michaelis, in ſuperiori parte Pragae, Deo donante, victores honorifice conuenerunt, ibique data pace, & accepta, reuerſi ſunt Imbripolim. Dux namque Boëmicus quantocius* SE FIDEI MARCHIONIS EKKIHARDI COMMITTENS, *humillima ſatisfactione venit ad Regem, offerens cenſum Boëmicae terrae, cum maxima honorificentia Regalium donorum, deinde pro fidelitate ac ſeruitute facto iuramento, datisque obſidibus, reuerſus eſt in patriam.*

simirus a colendo Principe, cuius tam salutarem opem expertus fuerat, deflexit.[7] Caeterum intentus religioni amplificandae, celeberrima duo monasteria S. Benedicti alumnis condidit: alterum Tinecini, in minore Polonia, ad fluuium Vistulam: alterum Leubusii, ad Viadrum amnem, in Silesia inferiore, duobus ab vrbe Wolavia milliaribus.[8]

HENRICVS III.

Casimiri in amplificanda religione studium.

XXI.

Henricus Burgundiae res ordinat.

Anno demum MXLII. ineunte, Henricus Burgundos inuisit, auide expectantes aduentum Regis.[1] Neque deerant, qui rebus nouis studerent. Hos nunc partim auctoritate, partim armis in ordinem redegit.[2] Muratum quoque castrum obsessum, captumque auxilio Bonifacii, Marchionis Tusciae, qui ex Italia militem adduxerat, legimus.[3] Paulo post Vesontione[4] despondit sibi Agnetem, filiam Wilhelmi IV. Comitis Pictauiensis, & Aquitaniae Ducis, quem

7) Id eruitur ex collatione Scriptorum gentis Bohemicae, & Polonicae, cum Germanicis. Loca ipsa collegit MART. HANCKIVS in libro de Rebus Silesiorum, §. 86-107.

8) Conf. IDEM l. c. §. 108.

§. XXI. 1) WIPPO in Carm. ad Henricum Regem, apud CANISIVM, p. 168. Burgundiam introducit, ita inuitantem Henricum:

Praeterea tibi, Rex, mandat Burgundia: Surge,
Atque veni, propera: noniter subiecta vacillant
Interdum, domino per tempora multa remoto.

Et porro:

Quamuis nunc pacem teneat Burgundia per te,
Autorem pacis tamen in te cernere quaerit,
Et cupit in Regis sua lumina pascere vultu.
Huc ades, & regnum fac, te veniente, serenum.
Si sol occubuit, cum Caesar regna reliquit,
Irradias patriam, si tu modo viseris illam.
Haec olim magno domuisti Regna labore,
Vtere nunc populis tibi, Rex, seruire paratis.

2) HERM. CONTR. ad An. 1042. *Henricus Rex hieme Burgundiam inuasit, multosque Principum se illi subiicientes suscepit, nonnullaque legitime diiudicauit.* Henrici iter in Burgundiam ANNALISTA SAXO, ab ECCARDO editus, refert ad An. seq. 1043.

3) DOMNIZO in Vit. Mathildis, Lib. I. cap. 12.

4) GLABER Lib. V. cap. I. *Henricus duxit vxorem filiam Wilhelmi, Pictauorum Ducis, nomine Agnetem, quam etiam desponsauit in Ciuitate Chrysopolitana, quae vulgo Vesontio vocatur.*

HENRICVS III. Connubium eius cum Agnete Pictauiensi. † A. 1043.

quem solicitatum ab Italis aduersus Conradi Imperium diximus. Moguntiae coronata est Agnes,[5] nuptiae Ingelheimii [6] celebratae sunt. † Oblata Henrico fuerat filia Regis Russorum. [7] Sed connubium cum Agnete praetulit, quod multum ad firmandam Regni securitatem conducere videbatur. Siquidem illa, maternum genus ducens ab Ottone Wilhelmo, cuius sub Henrico II. meminimus, potentissimas per Italiam Burgundiamque familias necessitudine attingebat. Neque ea spes fefellit. Nam paulo post nobilissimi duo Proceres, Geroldus Viennensis, & Reginaldus Burgundiae Comes, auunculus Reginae, Soloduri fidem Henrico iurauerunt. [8]

Hun-

5) HERMANNVS CONTRACTVS ad An. 1043. *Exin Agnetem, Wilhelmi Pictauiensis filiam, sponsam suam, accipiens, & Mogontiaci sponsam inungi faciens, Regales apud Ingelheim nuptias celebrauit: & in vano* HISTRIONVM *fauore nihili pendendo, vtile cunctis exemplum, vacuos eos, & moerentes dimittendo, posuit.* Scilicet varia spectaculorum genera, & scenici ludi, quamuis rudes, hoc quoque aeuo in vsu fuerunt. Eo referas verba MONACHI BRVNVILLERENSIS, in Narrat. de Ezone, & Mathildi, p. 321. *Sunt, qui dicunt, quod non prouectioris, sed recentioris aetatis tempore, has theatrico dignas spectaculo, Monomachiae patrauerat palaestras.* Histriones etiam, seu mimos, commemorat DOMNIZO in Vit. Mathild. Lib. I. cap. 9. vbi celebritatem nuptiarum Bonifacii & Beatricis describit:

Timpana cum citharis, stiuisque, lyrisque sonant hic.

Ac dedit insignis Dux praemia maxima MIMIS.

Ita enim locum hunc restituit Clar. MVRATORIVS in Antiqu. Ital. med. aeui, T. II. p. 842.

6) An. 1043. contractum hoc matrimonium tuetur PAGIVS ad h. a. n. 6. Chronicon Monasterii S. Albani Andegauensis ad A. 1043. ap. LABBEVM T. I. p. 276. etiam diem notauit. *Henricus Imperator* - - (Agnetem) *duxit vxorem Kal. Nouembr.*

7) Eius rei mentionem facit LAMBERTVS SCHAFNABVRG. ad A. 1043. *Ibi* (sc. Goslariae) *inter diversarum prouinciarum legatos, legati Ruscorum tristes redierunt, quia de filia Regis sui, quam Regi Henrico nupturam sperauerant, certum repudium reportabant.*

8) HERM. CONTR. ad A. 1045. *Reginoltus, & Gerold, Burgundiones, Regi apud Solodurum ad deditionem venerunt.* Reginaldi aduersus Henricum Regem odia IDEM notauit ad annum praecedentem: *Ludouicus Comes Reginaldum Principem, Reginae auunculum, sed Henrico Regi inimicum, dum quoddam castellum eius, quod Mons Piligardae dicitur, magna cum manu expugnare pararet, cum parua militum suorum copia pugnam iniens vicit, &c. Intelligitur hic Ludouicus IV. Comes Montis Beliardi, Firretae, Pontis Moncionis, & Barri.*

HENRICVS III.

XXII.

Petrus, Hungariae Rex, a contraria factione pellitur.

† An. 1038.

† An. 1041.

Henricus tuendum illum suscipit.

Hungaricum bellum per varias viciſſitudines geſtum eſt. Hungari, defuncto Stephano Rege, † Petrum, sororis eius filium, elegerant.[1] Anno autem MXLI. praevalente contraria factione, regno eum expellunt:[2] † atque Obonem, qui & ipſe ſororem Stephani in matrimonio habuiſſe traditur, ſubſtituunt. Petrus ad Albertum, Marchionem Auſtriae, ſororium ſuum, confugit, eoque commendante, Henrici Regis opem implorauit. Obo autem, non expectandam vim ratus, vltro in vicinam Auſtriam, & Carinthiam, milites immittit. Illi Albertus Marchio, vna cum filio Leopoldo, ſe obiecit: manumque Hungarorum, quae per ſeptentrionalem Danubii ripam vagabatur, ad internecionem deleuit. Henricus ipſe, autumno An. MXLII. in Hungariam exercitum duxit, captoque & exciſo Heimenburgo, & Presburgo, vbi Strigonium, caput Regni peruenit, confluentibus ad ſe Hungaris, cum Petrum pertinaciter auerſarentur, alium Regem dedit. Sed illum Obo, poſt diſceſſum Germanorum, facili negotio expulit.[3] An. MXLIII. Regi rurſus in Hungariam irruenti Obo ſpecioſas pacis conditiones offert, & agro cis Leitham amnem ſtatim cedit.[4] Is limiti Auſtriaco additus

Cc

§. XXII. 1) HERM. CONTR. ad. An. 1041.

2) ID. ad An. 1042.

3) HERM. CONTR. ad A. 1042. *Henricus quoque, Pannonias petens, Heimenburg & Brecesburg euertit: Septentrionalem Danubii partem, (quia flumina auſtralem, & paludes munierant,) vsque ad* GRANA *flumen vaſtauit, ſeu in deditionem accepit: & pars exercitus bis numero Vngariam incurſantibus congrediens, ſtrages magnas effecit, & ſubactis partium illarum Vngariis, cum Petrum recipere nollent, quemdam alium ex illis, item apud Boëmanos exulantem, Ducem eis conſtituit, quem tamen Ouo ſtatim poſt diſceſſum Regis, reſiſtere non valentem, in Boëmiam repulit.* Paulo aliter LAMBERTVS ad A. 1042. *Rex prima expeditione in Vngariam facta, praedictum Vbam fugauit, vsque ad fluuium* RABAN *peruenit, tres vrbes maximas cepit, acceptoque a Prouincialibus iureiurando, in pace remeauit.*

4) HERM. CONTR. ad A. 1043.

HENRICVS III. tus eſt, manſitque ab eo tempore Leitha Germaniae, & Hungariae terminus.

XXIII. Henricus Obonem praelio vincit.

Cum autem reliquas pacti conditiones Obo minime ſeruaret, Henricus, ſequente anno MXLIV. rurſus cum exercitu profectus, Arrabonem traiecit: ac modica manu cum Obone, longe maiorem exercitum habente, praelium commiſit, in quo ipſe non militis minus, quam Ducis ſtrenui munia impleuit.[1] Inſignem ibi victoriam conſecutus eſt. Vrbe etiam, in qua vxorem ille, filiosque habebat, potitus, Petro regnum reſtituit.[2] Nec multo poſt Obo, deprehenſus a militibus Petri, interfectus eſt.[3] Huius belli inſignis fructus ad Imperium rediit. Namque An. MXLV. cum Henricus, dies feſtos Pentecoſtes in Hungaria obiret, ſummo cultu exceptus a Petro, hunc in modum concinnatum eſt foedus, iurantibus etiam Regni, quotquot aderant, Proceribus: Hungariam in fide, & obſequio Imperii fore,[4] Petrum

Petro regnum reſtituit.

Is regnum in feudum ſuſcipit.

Henricus Rex, iterum Pannonias petens, ab Onone, vix pactum, ſatisfactionem, obſides, munera, Regnique, vsque ad Litha fluuium, partem accipiens, diſceſſit.

§. XXIII. 1) HERM. CONTR. ad An. 1044. *Ovo Rex cum iusiurandum, pactumque fregiſſet, Heinricus Rex cum perparuis copiis Pannonias petiit, quem Ouo, qui maximum parauerat exercitum, in tantum deſpexit, vt eum, quaſi facile occidendum, ſeu capiendum, prouinciam ingredi ſineret. Sed Heinricus cum parte copiarum Rabam fluuium feſtine, in diuino confiſus auxilio, transuadauit, pugnam, cunctis militibus paſſim feſtinantibus, iniit, & in prima congreſſione innumerabilem Vngariorum exercitum fugauit, & proſtrauit: & pauciſſimis ſuorum amiſſis,* IPSEMET FORTISSIME PVGNANS, *glorioſiſſimam victoriam adeptus eſt III. Non. Iulii. Et Ouone Rege vix fuga elapſo, omnes Vngarii ad deditionem ſeruitium promittunt.* SIGEBERTVS GEMBLAC. ad An. 1043. *Henricus Imperator iterum Hungariam ingreſſus, cum paucis Ablonem Regem de bello fugauit, & lanceam inſignem Regis recepit.*

2) HERM. CONTR. l. c. *Ipſe vero, vt erat per omnia piiſſimus, Petrum, iam dudum expulſum, Regno ſuo reſtituit. Vngarios petentes* LEGE BOIOARICA DONAVIT, *ipſeque cum triumpho in regnum ſuum rediit.*

3) IDEM l. c. *Nec multo poſt idem Ouo, a Petro Rege deprehenſus, ſcelerum ſuorum poenas, capite plexus, perſoluit.* Aliter de caede Obonis INCHOFERVS in Ann. Eccleſ. Hung. p. 381.

4) HERM. CONTR. ad A. 1045. *Petrus Rex Heinricum Regem, in feſtiuitate Pentecoſtes ad ſe inuitatum, cum*

trum beneficio Henrici regnaturum, post eius obitum prouinciam in potestate Imperatoris futuram, iisdem, quibus Bauari viuerent, legibus.[5] Ea tum legum, & consuetudinum Germanicarum commendatio fuit. Ingens quidem ex acquisitione Hungariae gloria Henricum priscis aequauit Principibus, qui deuictis populis, & prouinciis Romanum Imperium auxerant. Ipse etiam lanceam auream Obonis, in praeda repertam, Romam misit, vbi in Basilica Apostolorum in victoriae signum suspensa fuit.[6] Verum hanc magnitudinem paulo post imminuere coepit fortuna.

XXIV.

Gozelo, Dux Lotharingiae moritur.

† An. 1044.

Nouos pleraeque regiones Germaniae sub Henrici imperio Duces acceperunt. Sed nullibi maior rerum conuersio, quam quae in Lotharingia, post mortem Gozelonis, † contigit. Hic Lotharingiae inferiori primum praefectus, Mosellanicam quoque, mortuo Friderico II. Duce, regendam ab Imperatore Conrado acceperat:[1] Inferior Godfrido Barbato, filio eius natu maiori data.[2] Is

magno apparatu suscepit, & maximis muneribus donauit, eique regnum Pannoniarum, Principibus Hungariorum fidelitatem illi, & successoribus eius, iuramento firmantibus, reddidit: quod tamen ab eo ipse, dum viueret, possidendum recepit.

5) Conf. verba HERMANNI CONTRACTI not. 2.

6) ARNVLPHVS Lib. III. cap. 4. de Henrico Imp. *Cuius vnum insigne trophaeum aurata indicat lancea, Vngrorum Regi violenter extorta, & Romae in Apostolorum Templo suspensa.* Haec ipsa videtur esse lancea cuius SIGEBERTVS meminit, loco ad n. 1. allato.

§. XXIV. 1) Magnae hic in rebus Lotharingicis tenebrae, & apud Scriptores illarum conturbata fere omnia. Sequimur vnice veteres, qua probabili coniectura assequi licuit. HERMANNVS CONTRACTVS ad A. 1044. *Gozzilo, Dux Lotharieusium, moriens, Gozziloni filio, quamuis ignauo, Ducatum suum, a Rege Henrico promissum, relinquere disposuit. Sed alter filius eius, Godefridus, iam dudum Dux, cum Ducatum, fratri debitum, contra fas a Rege sibi obtinere nequiuisset, iusiurandum fidemque postponens, rebellare pio Regi praesumsit.* SIGEB. GEMBL. ad An. 1044. *Gothilo Dux obiit, cuius filius Godefridus, dum ei Ducatus Mosellanorum denegatur, altero Ducatu repudiato, contra Imperatorem rebellat.*

2) Itaque Henricus Rex, in Diplo-

HENRICVS III.

Filius Godfridus contra Regem insurgit.

iam non contentus suo Ducatu, Mosellanicum etiam, quem pater alteri filio, Gozeloni, dari petierat, efflagitat. Cum abnueret Rex[3], (nec enim consultum videbatur tantum potentiae vni committere, & limitaneis prouinciis suus cuilibet Dux melius conueniebat,) efferatus repulsa, in vim & arma ruit. Sed facile Rex contudit hanc peruicaciam, atque ad deditionem compulsum, in arcem Gibichensteinam ad Salam amnem, custodiendum misit.[4] Mox tamen exoratus ab amicis & propinquis, acceptoque filio in fidei obsidem, liberum abire iussit.[5] Venit Aquisgranum Godfridus, & Regi, die festo Pentecostes in publicum procedenti, supplex factus, in gratiam recipitur.[6] Sueuiae Ducatum Henricus ipse, ab obitu Hermanni fratris, tenuerat. Anno autem MXLV. Ottoni, Comiti Palatii, Ezonis, cuius supra meminimus, filio, illum dedit.[7]

Aquisgrani in gratiam recipitur.

Otto, Comes Palatii, Sueuiae Ducatum accipit.

XXV.

Italica. Tres Romae Pontifices.

Italicam expeditionem non differri vlterius sinebant turbae, quae in Vrbe Roma, magno Ecclesiae damno feruebant. Benedictum iterum expulerant Romani, Consulis Ptolemei potentia subnixi: qui aemulatione aduersus Tuscu-

nate, quo Niuellensi Virginum Canonicarum Collegio villam Niuellam An. 1040. donauit, profitetur, se id facere interuentu *Ducum Gothalonis, & Godefridi:* in MIRAEI Oper. Diplom. p. 660.

3) HERM. CONTR. ad A. 1044. *Castrum eius, Beggelheim, destruxit.* Forte Boeckelheim.

4) HERM. CONTR. ad A. 1045. *Godefridus Dux, rebellioni suae desperans, Regique ad deditionem veniens, in custodiam mittitur.* LAMBERTVS & locum custodiae indicat, ad e. a. *Dux Godefridus a Rege in deditionem acceptus, in Gibeckenstein missus est custodiendus, sicque regnum breui tempore quietum mansit.*

5) SIGEBERTVS GEMBLAC. ad An. 1045. *Godefridus, hortatu quorumdam Dei fidelium, ad recuperandam Imperatoris gratiam adductus, ab Imperatore capitur, & custodiae mancipatur, sed filium suum obsidem dans, relaxatur.*

6) HERMANNVS ad An. 1046. *Sanctum autem Pentecostes Aquisgrani faciens, Godefrido Duci, e custodia relaxato, sibi procedenti terratenus prostrato, Ducatum suum misertus reddidit.*

7) IDEM ad An. 1045. *Otto, Palatinus Comes, Paschali hebdomade, Dux Alamanniae apud Goslare constituitur.*

Tuſculanam domum maxime nitebatur. Ab ea factione Ioannes, Epiſcopus Sabinae, Papa ſub nomine Sylueſtri III. creatus eſt. [1] Sed Benedictus poſt tres menſes, auxiliis ſuorum in vrbem reuerſus, Lateranenſes aedes vi occupat: mox interpoſita pactione, Ioanni alicui Archipresbytero, Pontificatu cedit. Is Gregorius VI. appellatus eſt. Benedictus tamen inſignia dignitatis, cum parte redituum, & Palatio Lateranenſi, retinuit. Hinc acerbae Scriptorum illius aeui querimoniae de calamitate Eccleſiae, quam tres vna Pontifices miſere in partes traherent. Spes omnis in prouidentia atque auctoritate Henrici Regis erat. Is autumni tempore, † in Italiam profectus, Ticini conuentum habuit, [2] cui frequentes interfuerunt Germaniae, Italiaeque, & Burgundiae Epiſcopi. Placentiam ad eum venit Gregorius, tentauitque modis omnibus, propitium ſibi reddere. [3] Sed Regi fixum ſedebat animo Eccleſiae cauſam Canonico iudicio diſcutere. Itaque Sutrium, quod oppidum haud procul abeſt ab vrbe Roma, indicta eſt ſynodus. Praeſedit Gregorius, ſperans fore, vt Pontificatum eius tanquam legitimum vniuerſus Patrum ordo probaret. In illa Benedictus quidem, atque Sylueſter exauctorati ſunt: Gregorius autem, conſilio Henrici Regis, ſpontanea abdicatione, iudicium ſynodi praeuenit. Vnus ante omnes, qui rei Eccleſiaſticae praeficeretur, dignus viſus eſt Suidgerus, Bambergenſis Epiſcopus. [4] Hunc ge-

HENRICVS III.

Henricus in Italiam proficiſcitur. † An. 1046.

Concilium Sutrienſe.

Clemens II. Papa eligitur.

§. XXV. 1) Vid. inprimis VICTOR III. Papa in Dialogis de Miraculis S. Benedicti. LEO OSTIENS. Lib. II. cap. 79. Add. BARONIVS & PAGIVS ad An. 1046.

2) HERM. CONTR. ad A. 1045. *Itaque coadunato exercitu Papiae ſynodum celebrauit.* Extat Decretum ſynodi huius Ticinenſis, in nouiſſ. ed. Concil. Veneta, T. XI. p. 1309.

3) IBID. *Inde Placentiam veniens, Gratianum, quem expulſis prioribus, Romani Papam ſtatuerant, ad ſe venientem honorifice ſuſcepit.*

4) VICTOR III. Papa, Dialog. Lib. III. vbi Clementem Pontificem ele-

HENRICVS III.

genere Saxonem,[5] & ante Episcopatum, Praepositum Halberstadiensem, & Capellanum Hermanni, Archiepiscopi Hamburgensis, fuisse reperio.[6]

XXVI.

Henricus coronatur Romae.

Inauguratus est Suidgerus Romae in solemni Natalitiorum, & Clemens II. appellatus. Ipse eodem die Henrico, & Agneti augustalem coronam imposuit[1], miro Populi Romani fauore, qui Henricum, tanquam Imperii, & Ecclesiasticae simul dignitatis vindicem, laudibus ad coelum efferebat. In synodo[2] deinde graues poenae statutae sunt in illos, qui pretio munus sacrum emerint, (quam ambitus speciem Simoniam vocant). Renouata etiam vetus lex, ne inposterum Romani Papam, nisi auctore Caesare, haberent: quod Roma iam olim optimum aduersus factiones ambientium, & tumultus, remedium experta fuerat.

Limitem Apuliae ordinat.

Imperator dimissa maiori exercitus parte, ipse ad ordinandum limitem Apuliae profectus est.[3] Capuae Prin-

ctum commemorauit, addit: *Quia in Romana Ecclesia non erat tunc talis reperta persona, quae digne posset ad tanti honorem sufficere sacerdotii.*

5) Suidgerus fuit e familia Comitum Horneburgi. Vid. Fragmentum de Pontificibus, natu Saxonibus, apud LEIBNITIVM, T.I. Script. Rer. Brunsu.

6) ADAMVS BREMENSIS Lib. II. 50.

§. XXVI. 1) HERMANNVS CONTR. ad An. 1047. *In ipsa Natali die Domini praefatus Suidgerus, natione Saxo, Apostolicae Sedis Papa ex more consecratus, & nomine auctus, Clemens II. vocatus fuit. Qui mox ipsa die Henricum Regem, & coniugem eius, Agnetem, Imperiali benedictione sublimauit, peractisque Missarum solemniis, ipse Dominus Papa cum Imperatore & Imperatrice, ita vt erat coronatus, ad Lateranense palatium cum ingenti gloria proficiscuntur, cunctis ciuibus Romanis mirantibus, honoremque singulis quibusque pro facultate obiter impendentibus.* Rem singularem addit LEO OSTIENSIS Lib. II. cap. 79. *Tunc temporis, ob huiusmodi res tam prospere,* TAM CANONICE *gestas, eidem Henrico Patriciatus honorem Romani contribuunt, eumque* PRAETER IMPERIALEM CORONAM, AVREO CIRCVLO *vti decernunt.* Certe ab hoc tempore aliquoties mentio fit Dignitatis Patriciatus, susceptae a Regibus, & Imperatoribus Romanis.

2) PAGIVS ad h. a. n. I.

3) HERM. CONTR. ad A. 1047. *Imperator Roma egressus, nonnulla castella sibi rebellantia cepit: prouincias, prout videbatur, disposuit: Duces Nord-*

HENRICVS III.

Principatum Pandulpho, cui Conradus Imperator eum ademerat, restituit. 4 Normannorum quoque res ordinat, ac inter alia Drogonem, qui complura Graecis oppida eripuerat, Comitem Apuliae instituit. 5 Haec vera sunt initia dominationis Normannorum in Apulia. Antea sub Longobardicis Principibus militauerant: iam ipsi Comitatus, & regalia iura ab Imperatore impetrant. Interea socrus Imperatoris, Agnes, cum a monte Gargano revertens Beneuentum diuertisset, graui a ciuibus, incertum quam ob causam, affecta fuerat iniuria. Nunc vero Beneuentani, metuentes iram Henrici, aduentanti portas claudunt. 6 Non sinebat res vi & armis agere, cum neque iustum exercitum haberet Imperator, & graues causae reditum maturare impellerent. Agros tamen eorum inter Normannos distribuit,7 & Papa insuper, qui cum Imperatore profectus erat, diris ipsos deuouit. Ita composito Italiae Statu in Germaniam reuertens Henricus, vt tranquillitati vrbis

Beneuentanos proscribit.

mannis, qui in illis partibus commorantur, & aliis eo locorum vrbibus constituit.

4) LEO OSTIENSIS Lib. II. cap. 80. *Ibi Guaimerio renunciante Capuam, quam per nouem iam annos tenuerat, Pandulfo illam priori Principi simul cum filio, multo ab illis auro suscepto, restituit.*

5) IBID. *Dragoni Apuliae, & Rainulfo Auersae Comitibus ad se conuenientibus, & equos illi plurimos, & pecuniam maximam offerentibus, vniuersam, quam tunc tenebat, terram Imperiali inuestitura firmauit.*

6) HERMANNVS CONTRACTVS causam Beneuentanam ita narrat ad An. 1047. *Socru Imperatoris de monte Gargano Beneuentum reuersa, orto tumultu Beneuentani ciues quibusdam eam iniuriis afficiunt. Vnde saeuam ab Imperatore vindictam metuentes, eique se subdere non praesumentes, rebellionem ineunt. Sed Imperator, qui magnos, vt dictum est, exercitus iam remiserat, & ad alia occupato animo, iam patriam tendebat, tantam tunc temporis ciuitatem aggredi distulit, interimque eo infecto negotio, sed alias vniuersa Italia parente pacataque, redire disposuit.*

7) LEO OSTIENSIS Lib. II. cap. 80. *Inde Beneuentum contendens, cum noluissent eum ciues recipere, tam ob suam, quam & ob patris iniuriam, totam ciuitatem a Romano Pontifice, qui cum illo tunc erat, excommunicari fecit, cunctamque Beneuentanam terram Normannis auctoritate sua confirmans, vltra montes exinde est reuersus, Gregorium secum asportans.*

HENRICVS III. bis Romae, & securitati noui Pontificis, melius profpiceret, Gregorium fecum abduxit. [8]

XXVII.

Comitia Spirae. Conuerfio rerum in Hungaria. † An. 1046.

Superatis Alpibus, vbi in Franciam Rhenanam peruenit, Spirae ad folemne Pentecoftes conuentum Principum habuit. Namque praeterito anno, † cum in procinctu Italicae expeditionis ftaret, grauis in Hungaria facta conuerfio. Inualefcente factione, qui Petro aduerfabantur, Andream, ex veterum Principum fanguine ortum, Regem appellant, Petrum captum, luminibusque priuatum, cuftodiae mancipant, in qua haud multo poft diem obiit. [1] Exteros etiam, quibus plurimum ille confifus fuerat, partim occidunt, partim fpoliatos bonis omnibus expellunt. Qui tueri tunc amicum Regem, & clientem, non potuerat Imperator, nunc, quod proximum erat, vlcifci parabat.

Motus in Belgio, auctore Godfrido.

Praeterea crebri per Belgium motus magna Imperio mala minitabantur. Quippe Godfridus Dux, mortuo filio, quem obfidem Imperatori dederat, nouis rebus ftudens, confiliis fuis vicinos etiam Principes implicuerat. Balduinus Infulanus, Flandriae Comes, proferendae ditionis cupidus, limitem Imperii ad Scaldim tentabat. Theodericus autem, [2] Hollandorum Comes, quem

8) LEO OSTIENS. l. c. Huc videtur pertinere, quod Gregorius VII. in Concilio Romano, An. 1080. coacto, ait: *Inuitus vltra montes cum Domino Papa Gregorio abii, sed magis inuitus cum Domino meo, Papa Leone.*

§. XXVII. 1) Petri casum narrat HERMANNVS CONTRACTVS ad A. 1046. E domefticis Scriptoribus TVROCZIVS, Chron. Hungar. P. II. cap. 42. Hic in vrbe Alba Regali detentum, ac fato functum Petrum Regem, auctor eft.

2) HERMANNVS ad An. 1047. *Per idem tempus cum expeditionem in Pannonias, ad Petrum vlcifcendum difponeret, Godefridus Dux, cum Balduino de Flandriis, & aliis nonnullis, rebellionem innouaffe, bellumque copiis collectis parauiffe, Theodericus quoque de Phladirtinga Marchio, rebellaffe, & Epifcopatus fibi contiguos, ad iniurias Imperatoris, populatus effe, nunciatur.*

quem Flardingae Marchionem vocant horum temporum Annales, vicinos Episcopos, & maxime Vltraiectinum infestabat. Inter haec Legati Andreae Regis Spiram venerunt: excusantis, non se auctorem coniurationis in Petrum fuisse, coactum a popularibus regnum suscepisse, paratum ad idem obsequium, eundem censum, quem ille Imperio spopondisset.[3] Tam probabilis conditio differre Hungaricam expeditionem, gliscente inprimis Belgico motu, & in Hollandum potius vertere arma suasit. In eodem conuentu, Imperator Guelpho III. Ducatum Carinthiae, vacantem ab obitu Conradi Ducis,[4] vna cum Marchia Veronae, dedit.[5]

HENRICVS III.

Andreae, Hungariae Regis, Legati audiuntur.

Guelphus III. Carinthiae Ducatum accipit.

XXVIII.

Imperator in Hollandiam mouet.

Autumni tempore Imperator, vt decretum Spirae fuerat, exercitum Rheno & Vahali subuectum, aduersus Theodericum Comitem, in Hollandiam ducit: Rhenoburgum,[1] & Flardingam capit, munitas tunc vrbes; nunc tenues vici nomina seruant. Vlterius progredi propter paludes, & humidum solum, non potuit.[2] Recedenti in-

3) IB. *Praeterea Andreas, qui regnum Petri obtinuit, iam crebro legatos supplices miserat, regnum se ab Hungaris coactum suscepisse affirmans, de Petri sese iniuriis excusans, quique aduersus eum coniurauerant, partim a se trucidatos, partim Imperatori tradendos denuncians, suamque Imperatori subiectionem, annuum censum, & deuotam seruitutem, si regnum se habere permitteret, mandans.*

4) ANNAL. HILDESH. obitum Conradi Ducis notant ad An. 1039.

5) HERMANNVS CONTRACTVS ad An. 1047. *Quo tempore Welff, Comitem Sueuigenam, Welff dudum Comitis filium, Carentani Ducem promouit.*

§. XXVIII. 1) LAMBERTVS SCHAFN. ad An. 1047. *Exercitum* NAVALEM *per Rhenum duxit in Frisiam, contra Godefridum, eiusque adiutorem, Theodericum: ibique duas vrbes munitissimas cepit, Rinesburg, & Flerdingen.*

2) HERM. CONTR. ad A. 1047. *Autumnali tempore, nauali exercitu collecto, contra Theodericum in Phladirtingam arma commouit.* Et post pauca: *Imperator expeditione in Phladirtingam traiecta, aquosis impedientibus locis, parum proficere potuit, & reuertens, aduersariis, marino cursu, leuibus scaphis, latrocinantium more sequentibus, & extremos quosque incursando caedentibus, non modicam in exercitu cladem pertulit.*

HENRICVS III

Godfridus Dux in bellum erumpit.

sistunt incolae regionis, ingenio locorum, multoque vsu nauticam edocti, & leuibus prouecti scaphis militem aut sarcinas lacessunt. Tum & Godfridus Dux aperte aduersus Caesarem bellum mouet, quod per aliquot annos, euentus variante fortuna, gestum est. Sed Godfridi inprimis arma, illata regionibus vastitas, & foeda vrbium incendia deformarunt. Neomagi, inclytum, quod in ea vrbe erat, Caesarum Palatium incendit. Vrbem quoque Verdunum, (hunc enim Comitatum, a maioribus possessum, hereditario iure sibi deberi contendebat) dolo cepit, tectisque ignem iniecit, quo ipsum primarium vrbis templum absumtum est.[3] Eam culpam postea publice expiavit, flagrisque adeo tergum praebuisse, & capillum magna pecunia redemisse narratur.[4] Grassanti Godfrido Imperator Adalbertum Alsatium opposuit, quem spectatum bello, & propter consanguinitatem sibi carum, Mosellanis Ducem nuper dederat. † Idem hic annus obitu Ottonis, Sueuiae Ducis, notatur:[5] in cuius locum Imperator alium Ottonem, Suinfurtensem Marchionem, suffecit,[6] qui Irmengardim, viduam Hermanni Ducis, in matrimonio habuit. Henricus etiam Iunior, Lucemburgius, Bauariae Dux,[7] obiit. Eam prouinciam Conradus obtinuit,[8] filius

Adalbertus Alsatius Ducatum Mosellanicum impetrat.

† V. not in f.

Ducum Sueuiae & Bauariae successiones.

3) LAMB. SCHAFN. ad A. 1046. *Godefridus Neumago domum regiam, miri & incomparabilis operis, incendit. Ciuitatem Verdonensem cepit, maiorem in ea Ecclesiam concrematuit.*

4) LAMBERTVS ad A. 1046. *Sed post modicum facti in tantum eum poenituit, vt publice se verberari faceret, & capillos suos, ne tonderentur, multa pecunia redimeret, sumtus ad reaedificandam Ecclesiam daret, & in opere caementario, per se ipsum plerumque vilis mancipii ministerio functus, deseruiret.*

5) HERMANNVS ad An. 1047.

6) IDEM ad A. 1048. *Vlmae colloquium habens, Ottonem de Suinfurt, Marchionem, Ducem constituit.*

7) IDEM ad A. 1047. *Ipsis diebus quoque Boioariae Dux, Henricus, defunctus, Treuiris sepelitur.*

8) IDEM ad A. 1049. *Imperator Natalem Frisingae, & Purificationem S. Mariae, Ratisbonae agens, Baioariae Ducem, Conradum, constituit.*

us Ludolphi, Comitis Palatii, & nepos adeo Ehrenfridi, itidem Comitis Palatii, cui Mathildim, Ottonis II. filiam nupſiſſe diximus.

HENRICVS III.

XXIX.

Damaſus II. Papa inſtituitur.

Interea, defuncto Clemente Papa[1], in vrbem reuerſus Benedictus nouos tumultus ciebat. Romani vero legatos ad Imperatorem, qui alium Pontificem peterent, mittunt. Actum ea de re Poletae, in frequente Principum conuentu,† anno MXLVIII. & deſignatus eſt Poppo, Epiſcopus Brixinenſis, ordinatusque Romae Damaſi II. nomen ſumſit. Sed Pontificatum non vltra XXIV. dies tenuit. Autumno eius anni Imperator, & Henricus, Franciae Occidentalis Rex, conuenientes in territorio Metenſi, vetera pacis & amicitiae foedera coram renouarunt:[2] in qua concordia concilianda Wazonis, Epiſcopi Leodienſis, conſilium & ſolertia laudatur.[3] Interea bellum in Lotharingiae partibus continuatur, atque hoc ipſo anno, Godfridus, populantem agros ſuos Adalbertum, ex inſidiis oppreſſit. Imperator Ducatum Lotharingiae Superioris, quem Adalbertus habuerat, fratris eius filio, Gerhardo Alſatio dedit.[4] Fuere

† v. not. in f.

Imperator cum Henrico, Rege Franciae, colloquitur.

Gerhardus Alſatius Ducatum Moſellanicum accipit.

 hoc

§. XXIX. 1) Obiit Clemens An. 1046. d. 7. Oct. & reportatus Bambergam, ibique ſepultus eſt.

2) HERM. CONTR. ad An. 1048. *Autumnali tempore, Henricus Imperator, & Henricus, Galliarum Rex, in Metenſi territorio conuenientes, pacem pactumque inter ſe iuramento confirmauit.*

3) ANSELMVS LEODIENSIS in Vit. Wazonis Epiſcopi, cap. 103. *Rex Alemannorum, Henricus, necdum Imperator effectus, ad perquirendum ſibi Imperium Romam profectus fuerat. -- Interea videntes Franci totius patriae robur hac occaſione fuiſſe imminutum, -- Regi ſuo ſuggerunt, Aquenſe oppidum quondam ſui iuris extitiſſe, in acquirendo nullam difficultatem modo praepedire Regem, & Principem cum omni fere militia abeſſe. Protinus ad Regis iuſſum, exercitus vndique contrahuntur, -- tota poſtremo Francia commouetur. - - Sed Wazonis litterae eo vsque pacis amorem in ipſius reformarunt pectore, vt nil vltra tale concipiens, Imperatori, mox ex Italia reuerſo, in reliquum dexteram cum ſacramento dederit, & receperit.*

4) HERM. CONTR. ad An. 1048. *Eodem etiam tempore Godefridus Adelbertum Ducem, ſe depraedantem, perſecutus, & dimiſſa multitudine, cum paucis inuentum, cum aliis, qui regnare ten-*

HENRICVS III. hoc aeuo amplissima Domus Alsaticae decora, & ad posteritatem durauere. Namque a Gerhardo Lotharingiae Duces descendunt, & ex eodem genere fuit Guntramnus, cognomento diues, Comes Altenburgi & Vindonissae, a quo Habsburgici prognati sunt. † Godfrido autem ipsi abiudicatus est Inferioris Lotharingiae Ducatus, & Friderico Lucemburgio datus,† fratri Adalberonis, Episcopi Metensis. Aduersus Theodericum, tres Episcopi, Bernulphus Vltraiectinus, Theodwinus Leodiensis, atque idem Adalbero Metensis, iras atque arma iungunt. Profecti sunt sub initium An. MXLIX. dum per hiemem obdurata glacie flumina facilem militi aditum praebent. Perculsus improuiso discrimine Theodericus, cum praelium properasset, acie cadit. Prouinciam Episcopi ex sententia Caesaris ordinant:[5] irrumpentem etiam Godfridum, commissa pugna, in fugam coniiciunt.[6]

† v. not. in f. — † v. not. in f. — Bellum Hollandicum. Theoderici Comitis interitus.

XXX.

Leo IX. Papa designatur Wormatiae.

Interea adueniunt nuntii de obitu Damasi II. inter quos Hildebrandus Monachus fuit, qui postea tantopere inclaruit. Designatus est in conuentu Wormatiensi,[1] Bruno, Episcopus Tullensis,† qui Romae ordinatus, Leo IX. appel-

† v. not. in f.

tabant, occidit: post quam Gerbardus Dux ab Imperatore constituitur. SIGEB. GEMBL. ad A. 1048. *Albertus, qui Ducatum Mosellaniorum, Godefrido negatum, susceperat, a Godefrido perimitur. Ducatum eius Gerbardus de Alsatia, alterum vero Ducatum Fridericus obtinet.*

5) HERM. CONTR. ad An. 1049. *Glaciali bieme suppeditante, nonnulli de partibus maritimis milites & Principes, cum Leodiensi Episcopo, & Traiectensi, atque Metensi congregati, Theoderico in Phladirtingam insidias tendunt, commissa pugna victum occidunt, & prouinciam illam Imperatori subiiciunt.* Dordraci occisum ex insidiis tradunt recentiores rerum Belgicarum Scriptores. Sed EINDIVS in Chron. Zelandiae, p. 214. HERMANNI fidem sequi mavult, & in acie cecidisse Theodericum scribit.

6) HERMANNVS l. c. *Quam tamen non multo post Godefridus occupans, ab eisdem pugna petitus, & victus, vix aufugit.*

§. XXX. 1) Mense Decembri, An. 1048.

pellari voluit. Erat is filius Hugonis, Comitis Dagsburgi, (quae & ipsa Alsaticae Gentis familia fuit) adeoque propinquitate Imperatorem, ac clarissimas Franciae familias attingebat. Ecclesiae Romanae opes valde exhaustas inuenit.[2] Ante omnia autem instaurare disciplinam, & prouehere in maius rem ecclesiasticam statuit:[3] ipse tantopere eius studiosus, vt litteras Graecas didicerit, quo sacros libros legere posset.[4] Statim in prima Synodo † seueras leges tulit contra eos, qui sacerdotia pretio venderent, emerentque.[5] Constitutis Romae rebus, profectionem adornat in Germaniam, magno Romanorum comitatu, atque in itinere, Ticini, alium Episcoporum conuentum habuit. Venit ad Imperatorem in Saxonia commorantem: diemque festum Apostolorum, Petri & Pauli, vna obierunt Coloniae: quo tempore Hermanno Archiepiscopo, & successoribus eius, munus Archicancellarii Romanae Eccle-

HENRICVS III.

† A. 1049.

Leo IX. Imperatorem inuisit.

 siae

2) WIBERTVS l. c. Lib. II. c. 3. *Ibidem aduenieus nihil Pontificalium sumtuum inuenerat, iam enim erant in domesticos vsus absumta, imo in eleemosynarum praerogationem cuncta, quae secum attulerat, distributa. Defecerant cunctorum eius Comitum plenae delatae crumenae: non erat vlla spes opis, nisi proprias vestes ad minus pretium vendere, & quaecunque secreta arte benignissimum Patrem in patriam fugiendo reducere.*

3) Magnifice de Leone VICTOR III. Papa, Dialog. Lib. III. *Successit Leo, vir per omnia Apostolicus, Regali genere ortus, sapientia praeditus, religione conspicuus, omnique Ecclesiastica doctrina apprime eruditus, ac qui (quemadmodum scriptum est) coepit inuocare nomen Domini: quemque etiam vidi, eiusque familiaritatem habere merui. A quo omnia Ecclesiastica studia renouata, ac restaurata, nouaque lux mundo visa est exoriri.*

4) WIBERTVS in vit. S. Leonis IX. Lib. II. cap. 14. *Illud etiam erat in eo mirandum, quod vltra quinquagenarius tanto feruebat studio, vt diuinarum lectionem scripturarum Graeco addisceret eloquio.*

5) HERM. CONTR. ad A. 1049. *Idem Papa in hebdomada post Albas, Synodum cum Italiae Episcopis, maxime contra Simoniacam haeresim, Romae celebrauit. Idem in hebdomade Pentecostes, aliam Synodum Papiae congregauit: indeque per montem Iouis, cum plurimis Romanorum, in Cisalpinas partes deuenit.* Conf. Conc. T. IX. p. 1027.

HENRICVS III.

ſiae tribuit:[6] idque exercitum ab illis veteri acti teſtantur.[7]

XXXI.

Godfridus Dux veniam petit.

Imperator tum in procinctu ad Belgicam expeditionem aduerſus Godfridum & Balduinum ſtabat, eosque iam a ſacris etiam arceri Papa iuſſerat. Tum quidem Godfridus, minime expectandam vim ratus, veniam petit, & eodem Papa Leone deprecante, Aquisgrani in gratiam receptus eſt.[1] Flandrenſis autem Comes aliquandiu & Imperatoris iram, & Pontificis anathema ſpreuit.

Expeditio aduerſus Balduinum, Flandriae Comitem.

Quam metuendus ille hoſtis fuerit, vel ex Henrici ad hoc bellum apparatu colligas. Nam Suenonem, Daniae Regem, ad auxilium exciuerat. Eduardus quoque, Angliae Rex, nauibus mare ſeruabat, ne qua profugere Balduino integrum eſſet. Ita demum & ipſe placare Caeſarem obſequio ſtatuit.[2] Papa autem Aquisgrano Leodium[3] profectus eſt. Treuirim quoque, Tul-

6) Meminit eius rei WIBERTVS Lib. II. cap. 4. *His ſanctis inſudans ſtudiis antiquam repetit patriam, ſuſcipiturque a totius gentis nobiliſſimo atque reuerendiſſimo Archiepiſcopo Herimanno, apud Coloniam: cuius petitis conceſſit Dominus Papa hoc priuilegium ſedi Eccleſiae Colonienſis, vt ad altare S. Petri ſeptem Presbyteri Cardinales quotidie diuinum celebrarent officium in ſandaliis. Dedit ei quoque officium Cancellarii S. Romanae ſedis, eiusque ſucceſſoribus, tribuens illi Eccleſiam S. Iohannis ante portam Latinam.* Bullam ipſam vid. ap. MALLINCKROTIVM de Archicancellariis S. R. Imp. cap. 5.

7) Conf. Card. RASPONVS in Baſil. Lateran. ad A. 1051. & IO. CIAMPINVS in Catal. Bibliothecariorum Rom. Eccleſ. p. 40.

§. XXXI. 1) HERM. CONTR. ad An. 1050. *Secuta aeſtate, cum Imperator expeditionem contra Godefridum, & Balduinum, a Domino Papa excommunicatos, pararet, Godefridus tam contra vim Imperatoris, quam Papae excommunicationem; Aquisgranum venit, & opitulante Papa gratiam Imperatoris promeruit.*

2) HERM. CONTR. ad A. 1050. *Balduinus vero vtrumque contemnens, vaſtata ab exercitu, magna ex parte, prouincia ſua, tandem obſides dedit, & pactum cum Imperatore fecit.* HENR. DE KNYGHTON, de Euent. Angl. L. I. c. 9. *Leo Papa, & Suanus, Rex Danorum, perrexerunt cum Imperatore Henrico, contra Baldewynum, Flandrenſem Comitem. Et Rex Angliae, Eduardus, mare obſeruabat cum claſſe ſua, donec Imperator obtinuiſſet beneplacitum ſuum.*

3) Leo Papa in hoc itinere Leodio in Hannoniam etiam venit, inuiſitque Richildin Comitiſſam, neptem ſuam. Conf. not. ad BALDVINI AVENNENSIS Chron. p. 9.

Tullos, ac poſtremo Remos adiit. In ea vrbe Synodum Epiſcoporum Galliae habuit. [4] Autumno eius anni, Imperator & Papa Moguntiae conuenerunt ad Synodum, quam Papa indixerat. Illi interfuere cum ſuffraganeis ſuis Metropolitani Moguntinus, Treuirenſis, Colonienſis, Hamburgenſis, & Magdeburgicus. [5] Romam reuerſus Leo, in alia Synodo, Berengarii Andegauenſis dogma de S. Euchariſtia damnauit, [6] quod magnis ab eo tempore contentionibus in eccleſia anſam dedit. In eodem Concilio definiuit veterem inter Patriarcham Aquileienſem, & Gradenſem controuerſiam, datis ad Epiſcopos Venetiae & Iſtriae litteris, vt Dominico, Patriarchae Gradenſi, tanquam Primati ſuo, obedirent. [7] Nec minori cura pro Reipublicae commodis excubauit, & praecipue vt Normannos in fide Imperii contineret, allaborauit. [8]

HENRICVS III.

Leo Papa Synodum habet Moguntiae.

In Italiam reuertitur.

Fines Imperii tuetur.

Im-

4) HERM. CONTR. ad A. 1049. *Autumnali tempore Domnus Papa Synodum magnam Remis, cum Galliarum Epiſcopis habuit: indeque Moguntiacum veniens, aliam Synodum XL. Epiſcoporum, coram Imperatore, & regni noſtri Principibus celebrauit*

5) De Synodo hac Moguntina ADAMVS BREMENSIS Lib. III. c. 31. *Tunc habita eſt ſynodus generalis apud Moguntiam, praeſidente Domno Apoſtolico, & Imperatore Henrico, cum Epiſcopis, Bardone Moguntinenſi, Eberhardo Treuirenſi, Hermanno Colonienſi, Adelberto Hamburgenſi, Engelbardo Magdeburgenſi, ceteriſque prouinciarum ſacerdotibus. In eo Concilio, quidam Spirenſis Epiſcopus, nomine Sibico cui crimen adulterii intendebatur, examinatione ſacrificii purgatus eſt. Praeterea multa ibidem ſancita ſunt ad vtilitatem Eccleſiae, prae quibus Simoniaca haereſis, & neſanda ſacerdotum coniugia, holographa Synodi manu, perpetuo damnata eſt: quod veniens domnus noſter Archiepiſcopus non tacuiſſe probatur. De mulieribus ſtatuit eandem ſententiam, quam praedeceſſor eius memorabilis Alebrandus, & antea Libentius, inchoauerant: vt ſcilicet fierent extra ſynagogam, & ciuitatem, ne maleſuada pellicum vicinia caſtos violaret obtutus.*

6) T. IX. CONCIL. p. 1052.

7) IBID. pag. 1072. Occaſionem & progreſſum huius controuerſiae explicui in Commentar. Rerum Germanicar. XIV. 6. & 29.

8) HERM. CONTR. ad A. 1050. *Domnus Papa Leo, poſt Paſcha, Synodum iterum Romae collegit, & ſubſecuto tempore, vltra Romam progrediens, nonnullos locorum Principes, & ciuitates, tam ſibi, quam Imperatori, iureiurando ſubiecit, Beneuentanosque adhuc rebellantes excommunicauit.*

HENRICVS III.

XXXII.

Imperator aduersus Andream, Hungarorum Regem, bellum parat.

Imperatorem per id tempus Hungaricum bellum detinebat. Neque enim de Pace, qualem in Spirensi conuentu Legati Andreae Regis obtulerunt, conuenerat. Anno MI. Gebhardus, patruus Henrici, Ratisbonensis Episcopus, atque vna Conradus, Bauaris nuper Dux datus, cum Adalberto, Marchione Austriae, aliisque Bauariae Principibus, in Hungariam ducentes exercitum, Heimenburgum castrum instaurant.[1]

CumCasimiro,Poloniae Rege, pacem renouat.

Imperator ipse aduersus Casimirum, Polonorum Principem, qui, Hungari causa, turbaturus pacem nuntiabatur, sese parauerat. Sed is ita diluit suspiciones, vt Henricus positis belli consiliis, pacem denuo lubens confirmaret. * Autumno anni MLI.

In Hungariam exercitum ducit.

aduersus Andream expeditionem parans, Episcopum Ratisbonensem, cum Guelpho, Carinthiae, & Bretislao, Bohemorum Ducibus, praemittit, omnemque regionem, quae a Danubio in Septentrionem protenditur, vastare iubet. Ipse per Carinthiam incedit, Saxones, Polonos, Burgundos milites sub signis habens.[2] Verum Hungarus, confisus paludibus, minime subire iusti certaminis aleam statuit. Equites palantium in morem, ad lacessendum hostem, emittit. Illi itinera aeque ac statiua turbare, neque velocitatem eorum gravis sarcinis Germanus miles assequi poterat.

§. XXXII. 1) HERM. CONTR. ad An. 1050.

* IBID. *Imperator contra Gozmerum, Ducem Polonorum, rebellionem molientem, expeditionem parat, grauique infirmitate detentus, pacem pactumque competentem suscipiens, decessit.*

2) HERM. CONTR. ad An. 1051. *Sequenti autumno, magno cum exercitu Imperator, pactum Andreae Regis, vt per legatos offerebatur, accipere contemnens, Pannonias petiit, Gebehardoque, Ratisponensi Episcopo, & Welf, Brezizlaoque Ducibus, ad Septentrionalem partem Danubii depopulandam transmissis, ipse deuecto e nauibus, quantum poterat, sumtu, longo propter fluuiorum illuuionem circuitu, per Carentani fines transiens, periurumque regnum inuadens, hac & illac Hungarico exercitu, latrocinantium more, fugitante, & nusquam aequo Marte conferre manum audente, omnia circumquaque, quoad sumtus militi suppetebant, vasta reddidit.*

terat. Praeterea solitudinem latissime facere, ne commeatum Germani inuenirent. Itaque Henricus, vbi defecere, quae advexerat, cibaria, cum praeterea periculum esset, ne reditum hostis praecluderet, reduxit militem, caesis ad Rabizam fluvium Hungaris, qui traiectu prohibere volebant. [3] Andreas tamen legatos ad Adalbertum, Marchionem Austriae, misit, qui inducias, intra quas de pace agi posset, componerent. [4] Cum ne tum quidem de conditionibus conueniret, Imperator An. MLII. denuo collectis copiis, Presburgum, quod a Germanis nuper dirutum Andreas instaurauerat, obsidet. [5] Inter haec Leo IX. Papa, cui Andreas ipse pacis arbitrium detulerat, ex Italia superuenit, ac Henrico, vt solueret obsidionem, persuadet: pollicitus, ad aequam Pacis legem adducturum se Hungaros. [6]

HENRICVS III.

Iterum in Hungaros mouet.

Presburgum obsidet.

Ee Alia

3) IBID. *Sed cum laboranti iam penuria & fame exercitui, Hungarii iam reditum pararent intercludere, oppositisque per ripas fluminum praemunitos, vadosasque paludes copiis suis, omnes se vel ad deditionem cogere, vel inedia minitarentur extinguere, milites interriti hostes per fluuios obsistentes, incunctanter transuadantes fugant, quandamque munitionem firmissimam, ad pontem Rabantza fluminis structam, in qua maximam hostis fiduciam habebat, quidam ex Burgundionibus, Saxonibus, & Bolanis, milites, non sine sui periculo, flumine transito, in breui expugnatam capiunt, caesis palatisque Hungariis, reliquo exercitui viam pandunt. Qua pertranseuntibus paene cunctis incensa, aliquot de postremis in magno periculo hostibus insequentibus, interclusi.*

4) IBID. *Sicque redeunte Imperatore, illisque, quos vltra Danubium transmiserat, rebus prospere gestis, iamdudum reuersis, Andreas Rex a nostro Marchione Adelberto, pacem postulatum mittit, eamque vicissim tribuit.*

5) HERM. CONTR. ad A. 1052. *Imperator Brezisburg castrum obsedit, & variis belli machinis diu oppugnatum, Deo obsessis, se anxie inuocantibus, opitulante, frustratis semper nisibus, nullo modo capere potuit.*

6) HERMANNVS CONTRACTVS ad A. 1052. *Interim Dominus Leo Papa, ab Andrea accitus, cum pro pace componenda interuenisset, Imperatorem ab obsidione auocauit, eumque sibi per omnia consentaneum inueniens, sed econtra Andream consiliis minus parentem experiens, eique excommunicationem, vtpote delusa Sede Apostolica, minitans, cum Imperatore discessit.* Paulo aliter VIBERTVS Lib. II. cap. 8. vbi culpam abruptae pacis reiicit in praua quorundam Aulicorum Imperatoris consilia. Lib. II. cap. 8. *Coactus est antiquam patriam repetere, & pro reorum* (Hungarorum) *miseratione, qui contra*

HENRICVS III.

XXXIII.

Leo IX. Imp. sollicitat aduersus Normannos.

† An. 1052.

Alia insuper causa Papam ad suscipiendum iter hoc impulerat. Nimirum Normanni graues iam prouincialibus, neque Imperatoris, neque Pontificis, auctoritatem reuerebantur. [1] Itaque Wormatiae, qua in vrbe Imperator & Papa Natalitia † celebrauerunt, vehementer hortatus est Henricum, vt ad reprimendam illorum peruicaciam se accingat. Praeterea censum annuum ex Episcopatu Bambergensi, & nescio quid iuris in Abbatiam Fuldensem, atque alia nonnulla Germaniae monasteria, ex priorum Regum liberalitate sibi vindicabat. Quas postulationes vt redimeret Imperator, in compensationem obtulit, quicquid Fisco Imperiali in Beneuentana vrbe competebat. [2] Haec sunt dominii Romanae Ecclesiae in eam vrbem initia. Caeterum Imperator pollicitus est in Italiam, quam primum res finerent, proficisci, interea vero militem praemittere, quo aduersus Normannos Pontifex vtatur. Quod quidem consilium, suasu Gebhardi, Eichstadiensis Episcopi, statim mutauit. [3] Papa tamen copias nonnullas, suo auspicio coactas, abduxit. [4] Inter nobiles, qui tum in

Imperator Leoni concedit Beneuentum.

Imperium mouerant bellum, persuasoriis precibus Imperiales aures expetere. Sed quia factione quorumdam Curialium, qui felicibus sancti viri inuidebant actibus, sunt Augusti aures obduratae precibus Domini Apostolici, ideo Romana Respublica subiectionem Hungariae perdidit.

§. XXXIII. 1) De iniquitatibus, & iniuriis Normannorum HERMANNVS CONTRACTVS ad An. 1052. & ipse Leo Papa in Ep. ad Imperatorem Constantinum.

2) HERM. CONTR. ad A. 1053. *Imperator cum Domino Papa, multisque Episcopis, & Principibus, Natalem Domini Wormatiae egit. Vbi cum Papa, sicut dudum coeperat, Fuldensem Abbatiam, aliaque nonnulla loca, & coenobia, quae Sancto Petro antiquitus donata feruntur, ab Imperatore reposcens exegisset, demum Imperator pleraque in vltramontanis partibus, ad ius suum pertinentia, pro Cisalpinis illis, per concambium tradidit.* Beneuentum nominatur in CHR. CASINENS. Lib. II c. 84. *Tunc inter ipsum Apostolicum & Imperatorem, facta est commutatio de Beneuento, & Bambergensi Episcopio.*

3) CHR. CASIN. l. c.

4) LAMBERTVS SCHAFN. ad An. 1051. (rectius 1053.) *Imperator, Natalem Domini Wormatiae celebrauit, vbi Leo Papa ei valefaciens, mediocriter compositis, & causis Ecclesiasticis, & re-*

HENRICVS III.

in Italiam reuertentem comitati ſunt, fuit Godfridus Dux, & frater eius Fridericus, qui poſtea ad Pontificatum prouectus eſt. Ineunte aeſtate, † aduerſus Normannos cum exercitu proficiſcitur: animusque erat cum Argyroo, Magiſtro militiae, qui reliquias Graeci Imperii per Calabriam & Apuliam tuebatur, arma coniungere. Haec expeditio infelicem exitum habuit. Namque ex improuiſo incurrunt Normanni, [5] atque ubi ad praelium res † venit, Italicus miles ſtatim fugit: Germani, nequicquam acerrime dimicantes, ad vnum omnes caeſi ſunt. [6] Papam ipſum Victores, vt obſequio conciliarent ſurgenti potentiae ſuae, reuerenter habuerunt, & deduxere Beneuentum, [7] in qua vrbe in annum ſequentem vsque commoratus eſt.

† An. 1053. Leo infeliciter rem gerit adverſus Normannos.

† d. 18. Iun.

 Ma-

gni negotiis, Romam reuerſus eſt, abducens ſecum Godefridum Ducem, & fratrem eius, Fridericum, qui Gebehardo poſtmodum in Sedem Apoſtolicam ſucceſſit, item alios quam plures, tam Clericos, quam Laicos, in re militari probatiſſimos, quorum virtute Normannis, qui Apuliam occupauerant, obuiam ire parabat, &c. HERMANNVS CONTRACTVS ad A. 1053. *Secuti ſunt autem eum* (Leonem Papam) *plurimi Theutonicorum, partim iuſſu Dominorum, partim ſpe quaeſtus adducti, multi etiam ſcelerati & proterui, diuerſasque ob noxas patria pulſi. Quos ille omnes, tum conſuetae miſericordiae nimia compaſſione, tum etiam quia opera eorum ad imminens videbatur bellum indigere, clementer & gratanter ſuſcipiebat.*

5) Ita Papa ipſe in Epiſtola ad Imperatorem Conſtantinum: *Suffultus ergo comitatu, qualem temporis breuitas, & imminens neceſſitas permiſit, glorioſi Ducis & Magiſtri Argyroi, fideliſſimi tui, colloquium expetendum cenſui, non vt cuiusquam Normannorum, ſeu aliquorum hominum interitum optarem, aut mortem tractarem, ſed vt ſaltem humano terrore reſipiſcerent, qui diuina iudicia minime formidant. Interea nobis eorum pertinaciam ſalutari admonitione frangere tentantibus, & illis ex aduerſo, omnem ſubiectionem ficte pollicentibus, repentino impetu, Comitatum noſtrum adgrediuntur: ſed adhuc de victoria ſua potius triſtantur, quam laetantur.*

6) Prope oppidum *Ciuidade*, in regione *Capitanata.*

7) Praelium ita deſcribitur in CHR. CASINENS. Lib. II. c. 87. *Poſt haec adiunctis ſibi fere cunctis partium iſtarum militibus, Apuliam, cum Normannis dimicaturus, perrexit, anno Domini milleſimo quinquageſimo tertio, & ex parte quidem Apoſtolici, Rodulfus, in Beneuentanum Principem iam electus, & Guarnerius Sueuus, ſigna ſuſtollunt. Normanni vero tres de ſuis ſtatuunt turmas, quarum vnam Comes Humfridus, aliam Comes Richardus, tertiam Robertus agebat*

HENRICUS III.

XXXIV.

De foedere inter vtrumque Imperium procurando Consilia.

Majorem animo rem complexus Leo Pontifex, conciliare inter vtrumque Imperium foedus, & amborum Principum vires vnire aduersus Normannos statuit. Ipse, qui tum Byzantii regnabat, Constantinus Monomachus, foedus eiusmodi cupiuisse videtur.[1] Neque alienum ab illo se gerebat Patriarcha, Michael Cerularius,[2] quanquam alias odio haberet Latinos, hoc inprimis exprobrans, quod in celebrandis S. Eucharistiae mysteriis, pane azymo vtebantur. Itaque Leo, magna fretus spe, Constantinopolin Apocrisiarios suos misit, Humbertum Cardinalem, Petrum Archiepiscopum Amalphitanum, & Fridericum Diaconum,[3] Romanae Ecclesiae Cancellarium, qui

Leo Papa Legatos mittit Constantinopolin.

Viscardus. Inito autem certamine, in planitie maxima, quae iuxta ciuitatem est, paulatim se subtrahentibus, fugientibusque nostratibus, & solis, qui vltra montes venerant, remanentibus, cum diu ab his, fortiterque pugnatum fuisset, omnibus tandem in ipso certamine trucidatis, Normanni, Dei iudicio, extitere victores.

§. XXXIV. 1) Id colligas ex ipsa Epistola Leonis ad Constantinum Monomachum: *Tu enim post nimium longas & perniciosas discordias, primus Pacis & Concordiae monitor, portitor, & exoptator efficeris.* Legationis etiam ab Imperatore Constantino Monomacho ad Henricum missae mentio fit apud ADAMUM BREMENSEM Lib. III. cap. 33. vbi de rebus Adalberti, Archiepiscopi Hamburgensis, scribit: *Ad hunc felicitatis nostrae cumulum hoc accessit, quod fortissimus Imperator Graecorum Monomachus, & Henricus Francorum Rex, transmissis ad Caesarem nostrum muneribus, congratulati sunt Archiepiscopo pro sapientia, & fide eius, rebusque bene gestis illius consilio. Qui Constantinopolitano rescribens, inter caetera iactauit, se a Graecorum descendisse prosapia, Theophana & fortissimo Ottone, sui generis auctoribus: ideoque nec mirum esse, vt Graecos diligeret, quos etiam habitu & moribus vellet imitari: quod & fecit.*

2) Ita ipse Michael, in Epistola ad Petrum, Patriarcham Antiochenum, apud BARONIUM ad A. C. 1054. cupidum se pacis, priorem etiam litteris compellasse Leonem Papam, testatur: *Ante aliquod tempus, cum nouissemus ab iis, qui e vetere Roma ad nos venirent, de nobilitate & scientia Papae, videlicet vrbis Romae, nuper defuncti, Leonis scilicet - - - - non pauca illi scripsimus nostris litteris multa humilitate, vt tu recte vales cognoscere, ex iisdem litteris. Idque ea de causa fecimus, quoniam ipsum lucrari volebamus, nec non vt beneuolum nobis & familiarem redderemus, quo per eum Francorum auxilium nobis procuraremus.*

3) De Friderico hoc Michael Patriarcha in ep. ad eundem Patriarcham Antiochenum scribit: *Inter alios, qui Legationis primum locum tenere videbatur, Cancellarium Romanae Ecclesiae, & Consobrinum Regis ac Papae, seipsum vo-*

HENRICVS III.

qui nuper vna cum fratre ſecutus Leonem in Italiam fuerat. Hi quidem ab Imperatore comiter excepti ſunt. Cum Patriarcha vero nequicquam tentata eſt concordia. Itaque libellum, quo diras ei denuntiarunt, in ara templi S. Sophiae, deponunt, atque ſic ex vrbe regia diſcedunt. Ab eo tempore magis magisque diſſociari Eccleſia Graeca & Latina. Sed haec quidem in ſacris Annalibus copioſius memorantur. [4] Superſunt etiam ſcripta, quae Leo Papa, & Humbertus Cardinalis, aduerſus Graecos, pro tuenda Latinae Eccleſiae doctrina, emiſerunt. Caeterum in literis, quas ad Conſtantinum Imperatorem dedit Papa, [5] de Normannorum iniuriis vehementer queritur, hortaturque Graecum Principem, vt, cum Henrici aduentum proxime expectet, copias cum illo coniungere velit, [6] nihil hac concordia ſalutarius vtrique imperio contingere poſſe. [7] Sed praeualentibus Sacrorum diſſidiis, iam nec quid Reipublicae conduceret, animaduertebatur.

 A Wor-

cabat. ap. COTELERIVM in Monum. Eccleſ. Graec. T. I. p. 165.

4) Vid. Commemoratio breuis rerum a Legatis Sedis Apoſtolicae Conſtantinopoli geſtarum. Conc. T. IX. p. 1360. Sed conferri etiam merentur Michaelis Cerularii, Patriarchae Conſtantinopolitani, epiſtolae, de hac legatione Romani Pontificis, ap. COTELERIVM in Monument. Eccleſ. Graecae T. I. nec non acta Synodi, Conſtantinopoli, poſt diſceſſum Legatorum habitae, ap. LEONEM ALLATIVM, de libr. Eccleſiaſt. Graecor. p. 162.

5) Concil. T. X. p. 981.

6) Leo Papa in Epiſt. ad Imperatorem Conſtantinum. *Ad quam acquirendam, & obtinendam, habemus maximum ex diuina pietate ſolatium, & praeſidium, cariſſimum atque clariſſimum filium noſtrum, Imperatorem Henricum, cuius de die in diem expectamus promiſſum, & proximum aduentum, vtpote cum procinctu & expeditione Imperiali properantis ad noſtrum ſubſidium. Ad quod etiam ſuperna gratia tuam ſerenitatem animauit, vt hinc inde vobis duobus, velut totidem brachiis, inimicam gentem ab Eccleſia Chriſti propellentibus, & procul effugantibus, afflictae nunc Chriſtianitatis releuetur decus, & Reipublicae reformetur ſtatus.*

7) IBID. *Quae omnia nobis & vobis prouenient felicius, & multiplicius, vbi quantocius, Dei gratiae praeueniente, & beatiſſimis Apoſtolorum principibus interuenientibus, & me qualicumque Vicario eorum mediante, & obtinente, firmiſſimum pacis & amicitiae inter vos ambos componetur foedus.*

HENRICVS III. XXXV.

Imperator in Saxoniam concedit.

Sueno, Daniae Rex, Mersburgum venit.

Pax per Saxoniam.

A Wormatienſi illo conuentu Henricus in Saxoniam ſe recepit, & Mersburgi ad Paſchale feſtum, ſolennem Curiam habuit: cui Sueno III. etiam, Danorum Rex, interfuit.[1] In eo concilio Imperator cum Conradum, Ducem Bauariae, proſcriberet,[2] in multorum offenſam, ſuperbius illum regnare querentium, incurrit.[3] Saxoniam hoc tempore Bernhardus II. Dux, Marchiam Miſnenſem Wilhelmus, e ſtirpe Vinarienſi, obtinebat.[4] Caeterum tranquilla tum apud Saxones, etiam qui trans Albim erant, omnia. Apud conterminos Slauos quoque ſub Rege Godſchalco, Chriſtiana religio vires reſumit, & per omnes Abotritarum, Vagriorum, & Polaborum regiones, inſtauratae ſunt Eccleſiae.[5]

Secu-

§. XXXV. 1) HERM. CONTR. ad A. 1053. *Imperatore in Saxonia apud Mersburgum commorante, cum Rege Danorum Paſcha egit.* Huc pertinere videntur, quae habet ADAMVS Lib. III. cap. 22. *Ita Pontifex cum gaudio domum reuerſus, perſuaſit Caeſari, vt euocatus Rex Danorum in Saxoniam, alteri perpetua confoederaretur amicitia. Cuius confoederationis beneficio, multum lucri noſtra ſuſcepit Eccleſia, & legatio Borealium nationum, cooperanteque Suein Rege, proſperis ſemper eſt aucta incrementis.*

2) HERM. CONTR. ad A. 1053. *Ipſisque diebus Conradum, Boioariae Ducem, cui iam pridem infenſus erat, incuſatum, quorundam Principum iudicio, Ducatu priuauit.* Odii in Conradum cauſa incerta. Gebhardus, Epiſcopus Ratisbonenſis, de eo conqueſtus eſſe legitur. Aliam cauſam indicat MONACHVS BRVNVILLERENSIS, laudator ille totius familiae, ex qua ortus Conradus: *Cunonis interitus haec cauſa extitit, quod contemta Imperatoris Henrici filia, quam vxorem accipere debuerat, ab hoc ſui Ducatus honore depulſus eſt.*

3) HERM. CONTR. ad A. 1053. *Quo tempore Regni tam Primores, quam inferiores, contra Imperatorem magis magisque muſſitantes, iam dudum eum ab inchoatae iuſtitiae, pacis, pietatis, diuini timoris, multimodaeque virtutis tenore, in quo de die in diem debuerat proficere, paulatim ad quaeſtum & incuriam quandam deficere, multumque ſe ipſo deteriorem fore, cauſabantur.*

4) ANN. SAXO ECCARD. ad An. 1046. *Ekkihardus Marchio ſubitanea morte praefocatus interiit, & Wilhelmus Marchiam illius acquiſiuit. Illius pater fuit Willehelmus, Comes de Vinmare, &c.*

5) HELMOLDVS Lib. I. cap. 20. *Tunc etiam per ſingulas vrbes coenobia fiebant ſanctorum virorum, canonice viuentium: item Monachorum, atque Sanctimonialium; ſicut teſtantur ii, qui in* LVBECKE, *Aldenburg, Raceburg, Leontio, & in aliis ciuitatibus, ſingulas viderunt. In Magnopoli vero, quae eſt inclyta Obotritarum ciuitas, tres fuiſſe*

HENRICVS III.

Inteſtina Leuticorum bella.

SecurioremSaxoniae pacem inteſtina Leuticorum bella praeſtabant. Commune hoc nomen quatuor nationibus Slauicis, circa Panim fluuium, ad Viadrum vsque, colentibus fuit. Ex illis Rhetarii, & Tholenzi, Circipanos & Kycinos vltro aggreſſi, cum tribus praeliis victi eſſent, Regem Danorum, nec non Bernhardum, Saxonum Ducem, & Godſchalcum, Abotritarum Regulum, in auxilium accerſent. Ab his graui clade affecti Circipani, & Kycini, tandem XV. millibus marcarum pacem redemerunt.[6]

XXXVI.

Adalberti, Archiepiſcopi Hamburgenſis, elogium.

Hamburgenſem tum Metropolin Adalbertus tenebat: in quo viro magna fuerunt fortunae & animi decora, ſed quae immodica potentiae cupiditas inuiſa fecit. Genus illi ex Comitibus Palatinis Saxoniae, quibus a Goſſecio, gentilitio ad Salam caſtro, cognomen fuit. Ea praeterea doctrinae & morum commendatio, vt in concilio Sutrienſi a multis ad Pontificatum depoſceretur.[1] Amplificandae Eccleſiae, & Legationis ſuae ſtudioſiſſimus fuit.

Epiſcopatus inſtituti Mecklenburgi, & Raceburgi.

Itaque cum Dioeceſis Altenburgeſis nimis late pateret, in oppido Polaborum, Raceburgo, & Mecklenburgi, quae Abotritarum praecipua ciuitas erat, nouos Epiſcopos inſtituit:[2] quo diligentius Slaui Chriſtiana diſciplina imbuerentur. Iam-

congregationes Deo ſeruientium referuntur.

6) IBID. *Riadari, & To[illegible]zi, qui pro gloria certabant, deiectionis ſuae pudore vehementer afflicti, accerſierunt in auxilium fortiſſimum Regem Danorum, & Ducem Saxoniae Bernhardum, nec non & Godeſchalcum, Principem Obotritarum, ſingulos cum exercitibus ſuis, alueruntque tantam multitudinem de propriis ſtipendiis, ſex hebdomadibus. Inualuitque praelium aduerſus Circipanos, atque Kycinos, nec habuerunt vires reſiſtendi, obſeſſi tanta multitudine, caeſaque eſt ex iis maxima multitudo, & quam plurimi in captiuitatem ducti. Ad vltimum, quindecim millibus marcarum, pacem mercati ſunt. Principes pecuniam inter ſe partiti ſunt.*

§. XXXVI. 1) ADAMVS BREMENSIS Hiſt. Eccl. Lib. III. cap. 9. vbi Concilii Sutrienſis mentionem fecit: *Depoſitis, qui pro Apoſtolica Sede certauerant, - - Adalbertus Archiepiſcopus eligi debuit, niſi pro ſe collegam poſuiſſet Clementem.*

2) HELMOLD. Lib. I. cap. 22. ADAMVS in Hiſt. Archiep. Brem. c. 93.

HENRICVS III.

Iamque ſublimius aliquod Metropolitano faſtigium agitabat animo. Etenim Rex Daniae proprium habere volebat Archiepiſcopum, et Sueciae quoque ſua Metropolis deſtinabatur. [3] Adalbertus autem Patriarchalem ſibi dignitatem, quam vterque Metropolitanus coleret, ſtipulabatur: [4] fauebatque hiſce conſiliis Leo Papa. [5] Sed ea deinde tempus deſtituit. Verbi diuini praecones per omnem Septentrionem, inque ipſam Islandiam miſit, & Orcades adeo primum ab eo Epiſcopum accepere. [6] Neque laboribus pepercit vllis neque ſumtibus, vt Reges Septentrionis auctoritate vel officiis deuinctos ſibi haberet. Ita cum religione, famam ſimul & reuerentiam Germanici Imperii, late diffundebat. Suenonem quidem Daniae Regem, perpetuo Imperatori foedere addictum, propter comitatem & ſtudia literarum inſuper commendat Adamus, Bremenſis Eccleſiae Canonicus, non indiſertus horum temporum Auctor, profeſſus, ex illius ore pleraque ſe, quae de rebus Septentrionis commemorat, [7] hauſiſſe. Haraldo au-

Prolata per Septentrionem Chriſtiana Religio.

3) ADAMVS BREMENSIS de ſitu Daniae p. 59.

4) ID. Hiſt. Eccl. Lib. III. cap. 34.

5) IBID. cap. 35.

6) IBIDEM, cap. 26. *Cumque terrenis grauatus negotiis, ad Spiritalia mox langueſcere cogeretur, in ſola gentium legatione permanſit integer officii, & ſine querela, & talis, qualem & tempora, & mores hominum mallent habere. Ita affabilis, ita largus, ita hoſpitalis, ita iucundus, ita cupidus diuinae pariter ac humanae gloriae, vt paruula Brema, ex illius virtute, inſtar Romae, diuulgata, ab omnibus terrarum partibus deuote peteretur, maxime ab Aquilonaribus populis. Inter quos Islani, Gronlani, & Orchadum legati venerunt, petentes, vt eis praedicatores dirigeret: quod & fecit.* De Epiſcopo Orcadum IDEM de ſitu Daniae, pag. 64. *Ad easdem inſulas Orchadas, quamuis prius ab Anglorum, & Scotorum Epiſcopis regerentur, noſter primus, iuſſu Papae, ordinauit Thorulfum Epiſcopum, in ciuitate Blaſcona, qui omnium curam ageret.*

7) ID. Hiſt. Eccl. Lib. IV. cap. 16. *Nouiſſimis Archiepiſcopi temporibus, cum ego Bremam veni, audita eiusdem Regis ſapientia, mox ad eum venire diſpoſui, a quo etiam clementiſſime ſuſceptus, vt omnes, magnam huius libelli materiam ex eius ore collegi. Erat enim ſcientia litterarum eruditus, & liberaliſſimus in extraneos, & ipſe praedicatores ſuos Clericos in omnem Suediam direxit, & Nordmanniam, atque in inſulas, quae*

autem Noruegiae Regi,[8] maritimae excurſiones, quibus Slauicum Germaniae littus infeſtauit,[9] locum in annalibus noſtris faciunt. Commerciorum per Balthicum mare hoc quoque tempore veſtigia quaedam reperio, & quamuis per infeſtos piratis fluctus viam Negociatores inuenerunt.[10] Caeterum Boreales regiones, & ipſa inprimis Noruegia, ex quo Chriſtiana ſacra ſuſceperunt, magis magisque ad manſuetudinem colendamque pacem aſſuefactae ſunt.[11] Haec populos domi ſuo contentos agere, & victum pace quaerere docuit: ſubſeditque ſenſim terror Normannici nominis, qui omnia quondam maria & littora impleuerat. Eo maiora ſequentibus temporibus maritima negociatio incrementa habuit, atque intimos maris receſſus, & diuerſas regiones gentesque, non aeque cognitas antiquis, clarius aperuit.

HENRICVS III.

Commercia per mare Balthicum.

XXXVII.

Henricus, filius Imperatoris, Rex deſignatur.

Imperator hoc tempore, (vt ad ordinem hiſtoriae reuertar) firmando in familia ſua Imperio intentus erat. Filium illi Henricum

Ff

ſunt in illis partibus. Cuius veraci & dulciſſima narratione didici, ſuo tempore multos ex barbaris nationibus ad Chriſtianam fidem conuerſos &c.

8) De Haraldo Rege ADAMVS BREMENSIS Lib. III. cap. 13. *Haroldus quidam, frater Olaph Regis & Martyris, viuente adhuc germano ſuo, patriam egreſſus, Conſtantinopolim exul abierat. Vbi miles Imperatoris effectus, multa contra Sarracenos in mari, & Scythas in terra, praelia geſſit, fortitudine clarus, & diuitiis auctus vehementer. Is ergo defuncto fratre, cum in patriam reuocatus eſſet, Sueiis conſanguineum ſuum regnantem reperit. Cuius ſe tradens manibus, ſacramentum fidelitatis exhibuit victori, & patrium regnum pro Ducatu accepit in beneficium.*

9) ADAMVS Lib. III. cap. 18. *Ille vir omnes Slauorum maritimas depraedauit regiones. Ille Orchadas inſulas ſuae ſubiecit ditioni. Ille cruentum vsque in Island ſuum extendit imperium.*

10) IDEM de ſitu Daniae, p. 58. *Octauam dicunt illam, quae Sconiae, ac Gothiae proxima, Holmus appellatur, celeberrimus Daniae portus, & fida ſtatio nauium, quae a Barbaris in Graeciam dirigi ſolent.*

11) Ita de Noruegis ADAMVS de ſitu Daniae p. 63. *Itaque rei familiaris inopia coacti, totum mundum circumeunt, & piraticis raptibus ampliſſimam terrarum facultatem reportant domum, penuriam ſuae regionis tali modo ſuſtinentes. Poſt ſuſceptam vero Chriſtianitatem, melioribus imbuti ſcholis, didicerunt iam pacem & veritatem diligere, paupertate ſua contenti eſſe, imo quae haereditant collecta ſpargere, non, vt prius, diſperſa colligere.*

HENRICVS III. ricum A. ML. Agnes Augusta pepererat,[1] tam desideratum, vt in supplicationibus publicis preces ad Deum, pro impetranda Imperatori prole mascula, funderentur. [2] Statim illum Goslariae Principibus commendauit, [3] necdum initiatum baptismali vnda.[4] Nunc † Triburiae ad Rhenum in frequente Curia Rex designatus est. [5] In eodem conuentu Imperator Conradum, Bauariae Ducem, iterato iudicio proscribit.[6] Andreas, quoque Hungariae Rex Legatos eo misit speciosas satis conditiones offerentes. [7] Nam Leo Papa non desistebat Andream vrgere, vt Imperatori satis-

† A. 1053.

§. XXXVII. 1) HERMANNVS ad A. 1050.

2) MONACHVS BRVNVILLERENSIS p. 321. vbi expeditionis meminit, quam Imperator A. 1047. aduersus Godfridum, & Balduinum parabat: *Ea tempestate Imperator, expeditionem supra Flandrienses acturus, S. Mariae festum celebrauit apud Xanthum Vbi Hermannus Archipraesul exhortationem, instanti periculo congruam, ad plebem faciens, vniuersosque admonens, quatenus a superna clementia, pro concinnanda regni pace, Imperatori filium dari secum implorarent, cognita per nuncium morte fratris, flebili voce, finem collocutionis fecit.*

3) HERMANNVS ad An. 1051. *Imperator Natalem Domini apud Goslare egit, & multos ex Principibus filio suo iureiurando fidem subiectionemque promittere fecit.* De eodem conuentu intelligi debet LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS, quamuis ad An. 1052. retulerit: *Imperator Natalem Domini Polethae celebrauit, vbi filio suo, Henrico, adhuc Catechumeno, Principes Regni sub iuramento fidem promittere fecit.* Catechumenum vocat, quia nondum baptizatus erat.

4) Ea ceremonia peracta demum An. 1053. Coloniae in Solenni Paschatos. HERMANNVS ad h. a. *Paschae festum Coloniae demoratur, ibique filius eius, Henricus, ab Archiepiscopo Hermanno baptizatur.* Susceptor ex sacro fonte fuit Hugo, Abbas Cluniacensis.

5) HERMANNVS ad An. 1053. *Imperator Henricus, magno apud Triburiam conuentu habito, filium aequiuocum Regem a cunctis eligi, eique post obitum suum, si rector iustus futurus esset, subiectionem promitti fecit.*

6) IBID. ad An. 1053. *Ad quem conventum, cum Conradus, dudum Boioariae Dux, venire nolens, cum expeditis militibus Regi rebellare moliens, Hungaris se adiungere tentasset, & Carentani fines inuasisset, quibusdam inibi, quae prius habuerat, possessionibus suis, ab Imperatore priuatus est, eas quasi legaliter acquirente.*

7) IBID. ad An. 1053. *Ibi etiam legati Andreae, Regis Hungarorum, pro pace pactoque, cum suffragante Ratisbonensi Episcopo, immensam pecuniam, suaeque prouinciae partem, & expeditiones omnes, praeter Italicam, suos ituros promitterent, eaque omnia Regem suum impleturum, sacramento promitterent. Imperator ea se accepturum, fide data spondens, eos remisit.*

HENRICVS III.

tisfaceret, ac nuper Hugonem, Abbatem Cluniacenſem, eius rei cauſa in Hungariam miſerat. [8] Profectus inde in Bauariam Imperator, Ducatum eius prouinciae filio ſuo dedit, [9] vt plurimis munimentis fortuna domus, & ſecuritas Imperii niteretur. Verum Hungarica cauſa plane contrarium exitum habuit. Siquidem alter Conradus, cui Bauariam Imperator ademerat, interea ad Andream confugit, eumque a conſilio pacis, qualem obtulerat, ineundae auertit. [10] Ita priuata odia, graui Reipublicae detrimento, fructum tot expeditionum interceperunt.

XXXVIII.

Victor II. Papa in Germania eligitur.

† d. 19. Apr. 1054.

† Vid. not. in f.

An. MLIV. legati Roma, interque illos iterum Hildebrandus, veniunt, Leonis Papae obitum † nunciantes, aliumque ſibi e Germanicis Praeſulibus Pontificem dari petunt. Delectus eſt Moguntiae in Principum conuentu Gebhardus, Eichſtadienſis Epiſcopus, † quem inprimis ſibi carum Henricus aegre dimiſit, ordinatusque Romae Victor II. appellari voluit. Monebant tum, qui bene cupiebant Imperio, Henricum, haud vnum diſcrimen imminere Italiae. Nam & Normanni licentius in dies ſeſe efferebant, & Godfridum, qui Lotharingiae Ducatu priuatus in Italiam ſeceſſerat, magnum aliquod, pro odio ſuo erga Imperatorem, ſub pectore malum nutrire ſuſpicio erat. Duxerat autem in matrimonium Beatricem, viduam Bonifacii

8) HILDEBERTVS in Vit. S. Hugonis, cap. 2. narrato Henrici, filii Imp. baptiſmate, ſcribit: *Idem poſtmodum Romani iuſſu Pontificis in Hungariam profectus, de reformatione pacis curam gerit &c.*

9) HERMANNVS CONTRACTVS ad An. 1053. *Imperator in Boioariam veniens, Ducatum eiusdem prouinciae, filio ſuo aequiuoco tradidit.*

10) IDEM l.c. *Per idem tempus Conradus, dudum Dux, ab Andrea, Rege Hungarorum gratanter ſuſceptus, ei ne allegatum cum Imperatore foedus perficeret, diſſuaſit.* Conradus hic An. 1055. in Hungaria exul obiit.

HENRICVS III.

Godfridus Beatricem ducit, Bonifacii Marchionis viduam.

Henricus IV. coronatur.

Imperatoris aduersus Flandrum expeditio.

facii Marchionis,[1] qui paulo ante occisus, duos liberos, Bonifacium, & Mathildim, reliquerat. Illius iam domus opes tutorio nomine moderari cupiens, multis de ipso Imperio occupando agitare consilia visus est.[2] Imperator curam Italiae tantisper nouo Pontifici commendat, hortaturque per litteras Proceres, vt obseruarent Godfridum, donec ipsi in Italiam proficisci integrum esset.[3] Interea filium Henricum, designatum nuper Triburiae Regem, Aquisgrani ab Hermanno Coloniensi coronari curat.[4] Inde aduersus Balduinum, Comitem Flandriae, cum exercitu proficiscitur. Is enim Hannoniam, post mortem Hermanni Comitis, inuito Caesare, in potestatem redigere laborabat.[5] Iamque viduam Hermanni Richildim, Raynerii Comitis Montensium filiam, vt Balduino filio suo nuberet, adegerat.[6] Quin & per Lotharingiam excurrebat, atque inter

§. XXXVIII. 1) HERMANNVS CONTRACTVS ad A. 1054. *Godfridus iterum contra Imperatorem tyrannidem inuasit, Italiamque latenter adiens, Beatricem, Bonifacii quondam Marchionis viduam, vxorem accepit.* LAMBERTVS ad h. a. *Marchio Italorum, Bonifacius obiit, cuius viduam Beatricem Dux Godefridus accipiens, Marcham, & caeteras eius possessiones, coniugii praetextu vindicauit: quo comperto, Imperator Henricus graui scrupulo perurgeri coepit, reputans, ne forte per eum animi Italorum, semper auidi nouarum rerum, vt a regno Teutonicorum deficerent, sollicitarentur.*

2) LAMBERTVS ad An. 1055. *Henricus in Italiam perrexit, vocatus eo legatione Romanorum, qui nunciauerant, nimium in Italia contra rempublicam crescere opes, & potentiam Godfridi Ducis.*

3) LAMBERTVS ad A. 1045. vbi destinatum ab Henrico in Italiam nouum Pontificem commemorauit, pergit: *Datisque clanculo litteris ad omnes, qui in Italia opibus, aut virtute militari plurimum poterant, deprecabatur eos, vt Ducem Godefridum, ne quid forte mali contra Rempublicam machinaretur, obseruarent; promittebatque, se ipsum, vita comite, proximo anno affuturum, & quid facto opus esset, visurum.*

4) LAMBERTVS ad An. 1054. *Imperatoris filius, Henricus, consecratus est in Regem Aquisgrani ab Hermanno, Coloniensi Archiepiscopo, vix & aegre super hoc impetrato consensu Luitpoldi Archiepiscopi, ad quem, propter Primatum Moguntinae Sedis, consecratio Regis, & caetera negotiorum regni dispositio potissimum pertinebat. Sed Imperator potius Hermanno Archiepiscopo hoc priuilegium vindicabat, propter claritatem generis eius, & quia intra dioecesin ipsius consecratio haec celebranda contigisset.*

5) SIGEBERTVS ad An. 1051. *Balduinus Flandrensis, inuaso Hagionensi Comitatu, contra Imperatorem rebellat.*

6) CHR. BALDVINI AVEN-

ter alia Hoium oppidum occupasse legitur.[7] Caesar Scaldim traiicit non auso prohibere Balduino. Lambertum, Lenziae Comitem, qui cum lecta Flandrensium militum manu progredienti se obiecit, praelio fundit, ac Vrbem Tornacum, in quam plurimi ex Flandrica Nobilitate confugerant, capit.[8] HENRICVS III.

XXXIX. Imperator in Italiam mouet.

Ita firmato domi Principatu, assertisque Regni finibus, initio Anni MLV. in Italiam mouit. Pascha celebrat Mantuae, Pentecosten Florentiae: in qua vrbe Synodum quoque Victor Papa eodem tempore habuit.[1] Godfridus vero venienti in Italiam legatos obuiam misit, protestatus nihil se aduersus Imperium agitare animo: extorrem e patria, priuatum auito Ducatu, ambiuisse nuptias Beatricis, quo saltem alienis opibus inopiam suam sustentaret.[2]

Statum Hetruriae ordinat.

Beatrix quoque vt praesens melius dilueret prauas suspiciones, Florentiam ad Imperatorem veniens, contendit minime se debitam Imperio fidem, & reuerentiam violasse: libera semper connubii iura nobilibus foeminis

NENSIS p. 8. Ex recentioribus conferri meretur IA. MEYERVS in Annal. Rerum Flandricarum Lib. 3. ad An. 1053.

7) SIGEBERTVS ad An. 1053. *Balduinus Comes, terminos Lotharingiae incursans Hoyum oppidum incendit.*

8) SIGEBERTVS ad An. 1054. *Henricus Imperator, filio suo Henrico, puero quinquenni, in Regem sublimato Aquis, contra Balduinum proficiscitur, qui Scaldim fluuium, Balduino fugiente, transiens, omnia populatur, & insuper apertis sibi Clausulae portis, multam caedem inimicorum facit, & vltra progressus, Lambertum Comitem, Balduini satellitem, cum multis perimit, multos etiam Flandrensium Primates, exercitum suum prosequentes, concludit intra vrbem Tornacum, & obsessos capit.* Clausula, hodie *l'Ecluse* prope Duacum, vti videtur CHRISTOPHORO BVTKENS in Trophaeis Brabantiae.

§. XXXIX. 1) T. IX. Concil. p. 1079.

2) LAMBERTVS ad An. 1055. *Vbi Italiam ingressus est, Dux Godefridus, missis in occursum eius nunciis mandauit nihil se minus, quam rebellionem cogitare, paratum potius pro statu Reipublicae, & Imperatoris salute, extrema etiam omnia experiri, gratum se habere, quod patriis finibus extorris, patriis possessionibus eiectus, opibus saltem vxoris suae in peregrinatione sustentaretur: quam nec dolo, nec raptu, sed ipsius placito, & celebratis solemniter nuptiis, in matrimonium sibi iunxisset.*

HENRICVS III.

minis fuiſſe.[3] Imperator quidem in ſpeciem admiſit Godfridi excuſationem, ne, ſi diffidere videretur, in manifeſtam ille defectionem rueret, ducemque ſe Normannis praeberet. Beatricem tamen, velut obſidem tranquillitatis publicae, in Germaniam ſecum abduxit.[4] Fridericus quoque, frater Godfridi Ducis, nuper Conſtantinopoli, quo legatum a Papa Leone miſſum ſcripſimus, reuerſus fuerat. Hunc ſuſpectum habens Henricus, ne ad ſuam quid perniciem in Aula Byzantina molitus eſſet, a Pontifice captiuum ſibi tradi petiit. Cui procellae Fridericus vt ſe ſubduceret, ſeceſſit in coenobium Caſinenſe,[5] ex quo haud multo

3) IBIDEM. *Beatrix quoque, diſſimulato metu, Imperatori obuiam proceſſit, & vix impetrata dicendi copia, ait: nihil ſe egiſſe, praeterquam quod iure gentium ſibi agere licuiſſet: Deſtitutam ſe priori marito, deſolatae domui patronum parauiſſe, & ingenuam ingenuo, ſine fuco nefariae cuiusquam machinationis nupſiſſe: nec aequi, nec boni memorem eum eſſe, ſi id ſibi pace eius non liceret, quod in Imperio Romano foeminis nobilibus ſemper licuiſſet.*

4) IBIDEM. *Imperator itaque, accepto a Primoribus conſilio, Godefridum crimine abſoluit, non tam probans ſatisfactionem eius, quam metuens, ne malis recentibus exaſperatus, Normannis infeſtantibus Italiam Ducem belli ſe praeberet, & fierent nouiſſima eius peiora prioribus. Beatricem tamen, quaſi per deditionem acceptam, ſecum abduxit, hoc illi culpae obiiciens, quod contractis ſe inconſulto nuptiis, hoſti publico Italiam prodidiſſet.* CHRON. SAXO ad A. 1055. *Reuertensque neptem ſuam, Beatricem, matrem Mathildae, ſecum duxit, indigne eam tractans, propter quasdam inſolentias eius, quibus viuere conſueuerat, mortuo ipſius marito, Bonifacio Duce.* CONTIN. HERMANN. ad Ann. 1055. *Beatrix Imperatori ad deditionem veniens, cauſa mariti ſui, quamquam data fide, tenetur, filiusque eius, puer Bonifacius, hac cauſa venire veretur: ſed non multis interpoſitis diebus, cum Imperator ibidem moraretur, idem puer moritur. Imperator praedictam Beatricem inde abduxit captiuam, quippe multum moleſte ferens, Duci Godefrido eſſe copulatam.*

5) CHRON. CASINENSE Lib. II. cap. 89. *Comperiens itaque Imperator, Fridericum a Conſtantinopoli reuerſum, magnam valde pecuniam detuliſſe, coepit eum vehementer ſuſpectum habere. Nam eo tempore fratri eius, Duci Godfrido, inimiciſſimus erat. Quapropter ſcripſerat Apoſtolico, vt illum caperet, ſibique feſtinanter ſtuderet transmittere. Quo per neceſſarios cognito, Fridericus Abbatem noſtrum, qui per eos dies a Lucca, vbi ad eundem profectus fuerat, reuertebatur, latenter apud Romam alloquitur, & vt ſe Caſinum perducere, ibique ſe monachum facere ſtudeat, inſtantiſſime deprecatur.* Mentionem huius rei LAMBERTVS quoque facit ad An. 1054.

multo poſt protractus ad Papatum fuit. Imperator etiam Ottonem, Nouarienſem Epiſcopum, legatum Conſtantinopolim ad Michaelem Imperatorem miſit, vt foedus cum illo in vtriusque Imperii ſecuritatem faceret. Is Theodoram Auguſtam potientem imperio inuenit: cupidam & ipſam inſtaurandae cum Latinis amicitiae.[6] Ita Henricus dum in tempore ambiguis rebus occurrit, dum iura populis reddit;[7] dum praeſens conſilium procerum & operam excitat,[8] terroremque incutit Normannis,[9] graues Italiae motus anteuertit.

HENRICVS III. Amicitiam renouat cum Imp. Orientis.

XL.

Imperator filio Henrico Bertham deſpondet.

Reuerſus ex Italia Imperator, Tiguri, qua in vrbe Natalitia An. MLV. egit, Henrico Regi deſpondit[1] Bertham, filiam Ottonis, Marchionis Italiae, neptemque adeo Harduini quondam Regis. Ottoni vxor erat Adelais, Manfredi, Marchionis Seguſienſis, † filia; non hoc minus quam priori cum Amadeo, Moriennae Comite, matrimonio clara, ex quo Amadeus II. Sabaudicae Domus propagator genitus fuit. Scilicet e Republica viſum eſt Imperatori, potentes

† v. ſupr. §. 4.

6) CONTIN. HERMANN. ad An. 1055. *Imperator Othonem, Nouarienſem Epiſcopum, Conſtantinopolim miſit, vbi pro Michaele nuper defuncto, quandam foeminam, totius regni Monarchiam tenentem, inuenit, quae illum ſequenti anno, ſuis etiam legatis adiunctis, ad amicitiam, pactumque confirmandum, Imperatori remiſit.*

7) CONTIN. HERMANN. ad An. 1055. poſtquam Synodum Florentiae habitam commemorauit: *Imperator Adelbertum capitali ſententiae adiudicatum, per interuentum Epiſcoporum dimiſit.* Conf. de hoc Adalberto Marchione CL. MVRATORIVS Antiquitat. Eſtens. p. 234.

8) Statum Italiae ab Henrico Imp. auctoritate & conſilio prudenter tum ordinatum laudat LAMBERTVS ad A. 1055. *Deinde anno integro, intra Italiam commoratus, cuncta, quae rei vtilitas expoſcere videbatur, magnifice pro loco & tempore ordinauit.*

9) CONT. HERMANN. ad A. 1055. *Eodem tempore, quinquaginta aut eo amplius armati milites, a Normannia latenter per mare transeuntes, Normannis contra Imperatorem auxilium praebere cupientes, a Picentibus ciuibus capti, atque ad Imperatorem delati.*

§. XL. 1) CONTIN. HERMANNI ad A. 1056. *Imperator de Italia per Baioariam rediens, Natalem Domini apud Caſtrum Taregum celebrauit, ibique Othonis Marchionis filiam, aequiuoco ſuo filio deſponſauit.*

HENRICVS III.

Alterum cum Rege Galliae colloquium.

tentes familias, nouis affinitatibus Imperio ſuo deuincire, & antiquae aemulationis ſemina in firmamenta amicitiae vertere. Luſtrata regione Rhenana, Iuoſii cum Henrico, Rege Franciae, iterum colloquium habuit. Ibi cum Henricus Rex, male ſeruari neſcio quae foedera acerbius quereretur, id adeo non tulit Imperator, vt paratum ſe eſſe reſponderet, vel priuato certamine ſuam & Imperii dignitatem defendere, [2] pro more ſeculi, quo Principibus etiam Viris pulchrum videbatur ferro iniurias refellere. Facile ſimultates & rixae inter vicinos Principes oriri poterant, praeſertim cum magna Galliae pars in ditione Imperii eſſet. Inter recentes autem odiorum cauſas haec quoque videtur fuiſſe, quod Imperator Theobaldum, Comitem Trecenſem, aduerſantem Regi, in clientelam nuper ſuſceperat. [3]

XLI.

Leutici Saxoniam infeſtant.

Autumno anni in Saxoniam ſe contulit, quam Leutici,[1] dum ipſe in Italia abeſſet, infeſtare coeperant. Occurrit illis, iuſſu Imperatoris, Wilhelmus, Praeſes limitis Septentrionalis, (qui poſtea Marchionatus Brandenburgici nomine inclaruit)

2) LAMBERTVS ad An. 1056. *Perrexit ad villam Ciuois, in confinio ſitam regni Francorum & Teutonicorum, colloquium ibi habiturus, cum Rege Francorum: a quo contumelioſe atque hoſtiliter obiurgatus, quod multa ſaepe ſibi mentitus fuiſſet, & quod partem maximam Regni Francorum, dolo a patribus eius occupatam, reddere tam diu diſtuliſſet. Cum Imperator paratum ſe diceret, ſingulariter cum eo conſerta manu obiecta refellere, ille proxima nocte fuga lapſus, in ſuos ſe fines recepit.*

3) HERMANNVS ad An. 1054. *Ibi Theobaldus, Othonis filius, ad eum de Galliis veniens, & miles eius effectus, auxilium ſuum illi pollicitus eſt.* Conf. P. DANIEL Hiſt. Franc. Vol. II. p. 369.

§. XLI. 1) Iuuat hic conferre veterum Scriptorum de hac clade Saxonum teſtimonia: SIGEBERTVS ad A. 1055. *Imperatore in Italia conſtituto, milites eius Sclauis & Luticianis bello congreſſi multi capiuntur, aut perimuntur.* CONTIN. HERMANNI ad An. 1056. *Sclaui, qui & Liutici dicuntur, terminos Saxonum infeſtantes, quam plurimos eorum Principes, cum Wilhelmo Marchione, peremerunt.* LAMBERTVS ad An. 1056. *Inde profectus Botfelden, cum ibi aliquandiu venationi deditus moraretur, comperit Wilhelmum Marchionem, & Diodericum Comitem, cum infinita multitudine Saxonici exercitus, quos contra Luticios miſerat, male geſtis rebus occubuiſſe.* Diodericum hunc ANNALISTA SAXO ab

HENRICVS III.

ruit,) venitque res ad praelium.[2] Sed acie victi sunt Saxones, & Marchio ipse occubuit. Suffectus est Vdo, e familia Comitum Stadae.[3] Inuitauerat Imperator Victorem Papam ad colloquium, vt de Imperii rebus, asserendaque Italiae tranquillitate in commune consulerent. Hunc iam in Saxoniam venientem summo cultu excepit[4] Goslariae, quem locum sub Henrico S. frequentari coeptum,† ipse summopere amabat, & Palatio etiam atque Capella exornauerat.[5] Praeter Hungaricam caussam, & infesta Saxonibus Leuticorum arma, Belgici quoque motus distringebant animum Imperatoris. Scilicet Godfridus ex Italia in Patriam reuersus, iunctis cum Balduino armis, Fridericum Ducem lacessebat, atque ipso hoc tempore Antverpiam leguntur obsedisse.[6] Ad Pontificis aduentum con-

Victor II. Henricum inuisit.

† v. supr. IV. 24.

ECCARDO editus, vocat Comitem Catalenburgi.

2) Locum praelii indicat ANNAL. SAXO (ECC.) ad An. 1056. *Magna caedes a barbaris, qui Liutici dicuntur, in Christianos facta est, quorum quidam gladio fugientes in aqua perierunt, inter quos Willehelmus,* AQVILONALIS MARCHIO, *occiditur, non procul a castro, quod* PRIZLAVA *dicitur, quod situm est in littore Albis fluuii, in ostio, vbi ipse recipit Habolam fluuium. Ibi ergo in medio duorum fluminum, religiosus princeps dolose a Paganis circumuentus cum multis occubuit.* Auctor Premislauiam intelligere videtur. Sed vel in nomine Vrbis, vel in situ eius designando errauit. Certe Premislauia non ad Albim, sed ad Lacum Verorum sita est.

3) IBID. *Willehelmo autem Marchioni successit Vdo, Comes de Stadhen, vir industrius & nobilis.* Addit paulo post idem Auctor Vdonem hunc primum *ex hac generatione* MARCHIAM AQVILONALEM, *acquisiuisse.* De hoc Vdone LAMBERTVS ad c. a. *Wilhelmo Marchioni successit Vdo Comes, vir valde industrius, & Regi consanguinitate proximus.*

4) LAMBERTVS l. c. *Collectis ad ornandam tantae diei solemnitatem cunctis regni opibus, & Principibus.*

5) ADAMVS BREMENSIS Hist. Eccles. Lib. III. c. 30. *Ea tempestate Caesar Henricus, ingentibus regni diuitiis vtens, in Saxonia Goslariam fundauit, quam de paruo, vt dicitur, molendino, vel tugurio formans venatorio, in tam magnam, sicut nunc videri potest, ciuitatem, bono auspicio, & celeriter perduxit. In qua etiam sibi construens palatium, duas omnipotenti Deo congregationes instituit &c.*

6) SIGEBERTVS ad A. 1055. (rectius 1056.) *Balduinus Flandrensis, cum Godfrido, auunculum suum Frederi-*

HENRICVS III. fluxerant vndique vtriusque Ordinis Principes. Sed paulo post Imperatorem in Bothfeldino, quo venationis causa secesserat, immatura mors oppressit, † aetatis anno XXXIX. Iusta funeris Spirae, in Aede B. Mariae Virginis, quam ipse aedificauerat, praesente Victore Papa, soluta sunt.[7]

Henrici obitus. † d. 5. Octobr.

XLII.

Elogium Henrici. Imperii sub illo amplitudo.

Henricus omnes qui post Carolingos regnarunt, amplitudine Imperii antecelluit. Instituta ipsius aeui, multum illa a nostris moribus diuersa, considerantibus, hoc certe praeclarum occurrit, quod effectum iis est, vt Germanicum nomen longe clarissimum fama & potentia euaserit. Id inprimis vtile fuit, quod Papa & Imperator, summa concordia, Rempublicam tractauerunt; cuius rei praeclara maxime sub Clemente II. Leone IX. & Victore II. documenta extant. Henricus ipse animo a permissis etiam voluptatibus alieno fuit,[1] Imperii & gloriae cupidior. Bella etiam Bohemicum, Pannonicum, Belgicum fortiter gessit. Dignitatis Imperialis strenuum vindicem aduersus Ferdinandum, Legionis & Castellae Regem, se ostendit. Qui cum nomen Imperatoris in Hispania vsurpatum iret, minime id ferens Henricus, in Concilio etiam, quod tum forte Hildebrandus, Victoris II. Legatus apud Turones habebat, de illata Imperio suo iniuria, conquestus est. Denunciauit Hispano Principi Synodus, ni abstineret titulo, sacris interdictum iri. Ferdinandus Patrum auctoritati paruit;[2] addunt Hispanici Scriptores, Henricum antiquo etiam Imperii Romani iure in Hispaniam agere volu-

Titulum Imperatoris aduersus Ferdinandum, Castellae Regem, vindicat.

cum Ducem, intra Androuerpum obsidet. Sed concurrentibus Lotharingicis ab obsidione desistit.

7) LAMBERTVS l. c.

§. XLII. 1) Conf. supr. §. XXI. not. 5.

2) Rem praetermissam a nostris Scriptoribus narrat MARIANA de Reb.

voluiſſe, cauſamque Toloſae, in Conuentu Legatorum, agitatam, ſed agnitam denique ab omnibus Hiſpaniae libertatem fuiſſe.[3] Germanis Principibus ſtrictius Imperium,

HENRICVS III.

Gg 2

Hiſpan. L. IX. cap. 5. *In eodem conuentu, vt noſtrorum hiſtoriis memoriae proditum eſt, Henrici legati, eius iuſſu et verbis, querimonias & mandata ad Patres detulerunt, quorum haec ſumma erat: Regem Ferdinandum, contra morem maiorum & Legum praeſcripta facere, qui ſe Imperii Romani iure exemtum ferret, & incredibili arrogantia ac lenitate; in ipſum Imperii nomen inuaderet. Atque ego, inquit, eam iniuriam libenter tolerarem, (tantum apud me tranquillitatis ſtudium poteſt) ſi nullam, praeterquam dignitatis noſtrae, iacturam fieri viderem. Sed in conſilio capiendo Patres omnem orbem, quam late imperium Chriſtianorum patet, reſpicite: cuius incolumitas ſtare non poteſt, niſi ſit vnus, cuius auctoritatem cuncti reſpiciant, cuius imperio deuincti ſint, obtemperent voluntati. Reſpicite ſacroſanctum Pontificum maieſtatem, quorum fluxa auctoritas eſt, niſi Imperatorum (quos ea de cauſa, in orbe Chriſtiano, proximum poteſtatis locum obtinere voluerunt) armis & potentia muniatur. Naſcentem temeritatem in ipſis incunabulis comprimite: ne prauum exemplum ceſſatione noſtra, diſſimulatione veſtra ad alios promanet: & caeteris omnibus prouinciis ad dulce & ſaepe fallax libertatis nomen arrectis, Imperii, & Pontificatus ſacroſancta maieſtas ad inanem appellationem perducatur. Sacrificiis ex ritu Chriſtiano Hiſpaniam interdicite, Regisque inſolentis caput diris execrationibus defigite. Quod ſi feceritis, bonori Eccleſiae me non defuturum profiteor, & Reipublicae ſalutem vna vobiscum curaturum, quae in periculum vocatur: ſin timore defugitis, me bonori Imperii non defore, mihique priuatim conſulere certum habeo. Secundum eam orationem, Patres eam rem ſibi curae fore reſpondent. Re deliberata, Victor pronunciauit, Henricum (cuius rebus, vt faueret natura cogebat: erat enim natione Sueuus) videri aequa poſtulare. Miſſi legati Ferdinandum verbis Pontificis & Patrum monuerunt, vt imperio deinceps ſatisfaceret, & Imperatoris nomine abſtineret: quod neque legibus, neque auſpicato deſumſerat, dira omnia, niſi continuo pareret, comminati. Rex ancipiti cura anxius, ſiue morem gereret, ſiue parere recuſaret, ne ex vtraque parte grauiſſimis perpetuisque malis Hiſpaniam implicaret: concilio gentis coacto, de tanta re diſputare conſtituit. Variae dictae ſententiae. Pars, quorum religione animi tacti erant, obtemperandum iudicabant, ne Pontificem, & Patres in ſuum caput irritarent, & bello implicarent Hiſpaniam, quod futurum prouidebant, & quod omni ratione vitandum videbatur: cum vires prouinciae in plures Reges diſtractae, & inteſtinis motibus debilitatae eſſent: tantumque hoſtium Chriſtiani nominis, Hiſpaniae viſcera fatigaret. Pauci priſtinae virtutis memores, iugum Hiſpaniae libertati imponi grauiſſimum, ſi parerent, diſputabant.*

3) MARIANA l. c. *Facile ab aequiſſimo Pontifice eſt impetratum, vt Rupertus, Sanctae Sabinae Cardinalis, cum ampliſſimis mandatis, praeterea Imperatoris legati, eius controuerſiae componendae cauſa, venirent in Hiſpaniam. Toloſae, vbi legati conſtiterunt, Ferdinando Rege interea in patriam reuerſo, agitata cauſa, atque pro libertate Hiſpaniae pronunciatum eſt: decretumque, Germanis nullum deinceps ius in Hiſpaniae Reges fore. Quod ab eo initio ſuſceptum,*

HENRICVS III. rium, quam ferret auita libertas, Henricus affectare visus est. 4 Eam quidem inuidiam ipse praepotens, & artium regnandi gnarus, facile vicit. Verum deinde sub principatu filii impuberis licentius erupit.

XLIII. Henrici in litteras fauor.

Hoc quoque in laude Henrici ponitur, quod liberali a prima aetate, disciplina nutritus gustum aliquem bonarum artium contraxerat: Idque Gisilae matris consilio tribuit Wippo, in carmine, quo auspicium regni eius prosecutus est. [1] Facundiae inprimis laude celebratur:[2] & fauore certe in reliquas artes effecit, vt in Germania & Burgundia,[3] efflorescere cultura ingeniorum inciperet.[4] Vigebant in scholis praeter Rhetoricam & Dialecticam, Geometriae,[5] & Astronomiae studia. Nec minus diligen-

confirmatumque populi deinde moribus, consensu caeterarum gentium, & publica Iureconsultorum sententia, & iudicio, est comprobatum. Caeterum hoc MARIANAE caput non sine Epicrisi dimisit Interpres Gallicus.

4) Conf. supr. §. XXV. not. 3.

§. XLIII. 1) WIP. l.c. de Gisila:
Haec operam dederat, quod Rex in lege studebat:
Illa sibi libros persuaserat esse legendos,
Vt varios ritus diiudicet arte peritus.
Doctrinae lumen tenebrosum dirigit orbem,
Gentes infestas vicit Romana potestas
Olim consiliis: non semper vicerat armis.

2) HEPIDANVS ad An. 1048. *Ipse* (Henricus) *gradum - - facundus orator ascendit, & luculento sermone, populum ad pacem cohortari coepit.*

3) Burgundia tum temporis, ob neglectum ingeniorum cultum, male audiebat. Humberto Cardinali cum Berengarius per conuitium exprobrasset, in Burgundia natum esse, vindicauit illum LANFRANCVS de Corp. Lib. II. p. 232. *Humbertum*, inquit, *non de Burgundia, sed de Lotharingia, S. Leo Romam traduxit, - - qui si etiam Burgundus esset, insipienter tamen arrogantia tua nomen suae gentis pro infamia sibi adscriberet, cum Spiritus Domini, vbi vult, spiret.*

4) CHRON. AVGVSTENSE ad An. 1047. *Henrici adstipulatione & industria, plurimi eo tempore in artibus, in aedificatione, in auctoribus, in omni genere doctrinae pollebant. Studium vbique famosum.* De studio aedificandi, quod sub Henrico floruit, testantur tot Templa, & Monasteria, per Germaniam & Lotharingiam splendidius extructa. De iis, quae per Lotharingiae regiones, Henrico imperante extructa fuerunt, Conf. CALMETVS in Hist. Loth. Lib. XIX. p. 955. not. 9.

5) Floruit paulo ante Henrici Imperium, Campanus, Nouariensis, laudatus TRITHEMIO cap. 346. Ab illo habemus Euclidis elementa latine versa.

genter Muficam, quam hoc feculo ad nouos modos redegit Guido Aretinus,[6] colebant. Quin & Architecturae aliqua cura haberi coeperat. * Verum ftudia litterarum, qualiacunque demum effent,[7] tum fere intra Ecclefiafticum Ordinem fubfiftebant. Quare Henricum hortatur Wippo, vt ad difcendas artes togatas, quibus Romana quondam res non fecus ac armis fteterat, reliquam etiam iuuentutem excitaret: neque fineret porro nobiles viros, rudes diuini humanique iuris, accedere ad conuentus, in quibus de rebus arduis, & faepe de ipforummet fortunis tractandum erat.[8] Ecclefiae Germanicae fumma hoc tempore exi-

HENRICVS III.

Ecclefiae Germanicae illius aeui claritas.

6) Videtur hic Guido in Germaniam quoque venifle, & intelligi de illo poffe ADAMVS BREMENSIS, Hift. Eccl. Lib. III. cap. 40. vbi de Hermanno Archiepifcopo, qui vltimis Imperatoris Conradi Salici annis, illi Ecclefiae praefuit, refert: *Muficum Guidonem Bremam adduxit, cuius induftria Melodiam & Clauftralem difciplinam correxit.*

* Vid. not 4.

7) Quae tum fuerit ratio difcendi, colligas ex WIBERTI Vita S. Leonis IX. vbi ftudia, quibus ipfe, & Adalbero, (Epifcopus poftea Metenfis) excultus fuerat, ita defcribit: *Nempe, vt primum competit rudibus, decurfo artium triuio,* (fcilicet Grammatica, Rhetorica, & Dialectica,) *non folum claruerunt profa & metro, verum & forenfes controuerfias, acuto & viuace oculo mentis deprehenfas, expediebant, feu remouebant fedulo. Denique quadriuium* (fcilicet quatuor Mathematicae partes, Arithmeticam, Geometriam, Aftrologiam, & Muficam,) *naturali ingenio veftigantes, deguftarunt, atque non minimum in ipfo quoque valuerunt.*

8) WIPPO, l. c. vbi Legem ita alloquentem Henricum introducit:

Quin aliud dicam tibi, Rex, ego conciliatrix,
Lex tua, ne renuas poft dictum commemorare:
Cum Deus omnipotens tibi totum fregerit orbem,
Et iuga praecepti non audet temnere quifquam,
Pacatusque filet, firmato foedere, mundus;
Cunque per Imperium tua iuffa volatile verbum
Edocet, Augufti de claro nomine fcriptum;
Tunc fac edictum per terram Teutonicorum,
Quilibet vt diues fibi natos inftruat omnes
Litterulis, legemque fuam perfuadeat illis,
Vt cum Principibus placitandi venerit vfus,
Quisque fuis libris exemplum proferat illis.
Moribus his dudum viuebat Roma decenter.
His ftudiis tantos potuit vincere tyrannos.
Hoc feruant Itali, poft prima crepundia, cuncti,
Et fudare fcholis mandatur tota iuuentus.
Solis Teutonicis vacuum vel turpe videtur,
Vt doceant aliquem, nifi Clericus accipiatur.
Sed, Rex docte, iube cunctos per regna doceri,
Vt tecum regnet fapientia partibus iftis.

HENRICVS III. existimatio fuit. Ex eius gremio Roma quinque ordine praestantissimos Pontifices accepit. Inter reliquos eius antistites Bardo, Archiepiscopus Moguntinus, ob facundiam & gratiam oris in concionibus habendis ita claruit, vt publica voce Chrysostomus cognominatus sit. [9] Bruno, Wirceburgensis Episcopus, Conradi, Carinthiae Ducis, frater, Psalmos illustrauit, ex veterum Ecclesiae Patrum commentariis. [10] Wazonem Leodiensem doctrina haud minus, quam in rebus gerendis dexteritas, nobilitauit. [11]

Auctoritas Metropolitanorum.

Politiam Ecclesiasticam seruabant Metropolitani, magna quisque in sua prouincia auctoritate. [12] Caeterum in vita quotidiana Cle-

9) ANN. SAXO ECC. ad An. 1031. *Bardo, Herueldensis Abbas, - - qui Deo prouehente, in breui ad culmen summae perfectionis feliciter processit. Qui propter dulcisonam praedicandi melodiam Bardo Chrysostomus dicebatur.* n

10) Hunc Commentarium ex Codice Ecclesiae Wirceburgensis edidit IO. COCHLAEVS. Insertus etiam est Bibliothecae Patrum Max. T. XVIII.

11) SIGEB. GEMBL. ad An. 1042. *Wato, ex Clero S. Lamberti, vir spiritu sapientiae & scientiae, & feruore religionis insignitus, ordinatur Leodiensium Episcopus.* ANSELMVS in Vitis Episcoporum Leodiensium cap. 84. Wazonem, qualem se in regenda Schola Leodiensi praestitit, describit. *Hic primum sub Nothgero Praesule Capellanus existens, postea ab eodem scholarum donatur magisterio. In quarum studio, tam morum, quam litterarum, vigilantissimam exercuit disciplinam. Scholares claris pollentes moribus, licet minus litteratos, scientiae suae vanitate inflatis, anteponebat. Venientibus ad se de diuersis terrarum partibus, plerisque difficiles quidem sui praebebat accessus: si quos autem vere ob studia venisse cognouisset, gratanter suscipiebat, secumque detentis, victualium & vestitus necessaria ministrabat. Discedebant alii litteris, moribus, & religione instructi: accedebant alii nihilominus instruendi.* Deinde Capellanum Imperatoris factum ita laudat: cap. 87. *Breui exacto tempore, pro suae sanctitatis merito, non solum ab ipso Imperatore, sed etiam ab Archiepiscopis, & Episcopis, tantam consecutus est gratiam, vt in soluendis Scripturae Sacrae quaestionibus, aliarumque causarum enodandis disceptationibus, doctorem praecipuum haberent: prae caeteris tamen Aribo Moguntiacensis, & Pelegrinus Coloniensis, tanta eum veneratione praeferebant, vt ei vicissim assurgentes, in tractandis negotiis aulicis, collateralem sibi eum sessorem effici cogerent.*

12) Bruno, qui Papa Leo XI. postea vocatus est, cum Episcopatum Leucorum a Conrado Salico accepisset, noluit Romae consecrari, ne Archiepiscopum Treuirensem, Metropolitanum suum, offenderet. WIBERTVS in Vit. eius Lib. I. cap. 12. rem ita narrat: *At ipse praedestinatus Deo amabilis Bruno, custos verae humilitatis, & seruantissimus praeceptorum Dominicae auctoritatis, co-*

Clericorum, illorum inprimis qui Episcopalibus Ecclesiis adscripti erant, mitigata sensim est prisci moris austeritas. Primo liberaliori victu haberi coeperunt: vbi vetus Historicus, vt rem memoria dignam, in Annales retulit, Wezelinum, Archiepiscopum Bremensem, primum fratribus cum pane albo vinum dedisse. [13] Tam frugalis, & incomta plerumque Saxonum mensa, ad haec vsque tempora fuerat. Deinde ipsa disciplina claustri soluta est: [14] &

HENRICVS III.

Instituta Canonicorum.

gnito quia hic terrenus honor sibi ab Augusto collatus aliquos inuido dente mordebat, quodque Treuirorum Archipraesul, praelatione sui cuiusdam priuilegii, huic regiae voluntati obstare cupiebat: hic noster mox adiit Regem, obnixo precamine, vt a tali desisteret conamine: malens, se honore huius benedictionis carere, quam in alicuius dissidio contradictionis contra quemquam remanere. Vix ergo et cum difficili labore Dominum Augustum ab ea voluntate resipiscere cogens, ac ipsius dulci commeatu Belgicam Galliarum repetens, a D. Archiepiscopo Treuerorum Poppone Pontificalem humiliter poscit benedictionem, atque inter se statuerunt tempus hanc sanctam fieri ordinationem. Ludolphus, Archiepiscopus Moguntinus, Wormatiae dignitatem suam adeo Papa Leone IX. praesente, tuitus est, vti prolixe narrat ANNAL. SAXONICVS, ab ECCARDO editus, ad An. 1053. Is ita narrationem suam concludit. *Qua in re et Pontificis auctoritas, & Apostolici considerandá est humilitas: dum & ille officii sui dignitatem defendere studuit, & iste, licet maioris dignitatis, Metropolitano in sua tamen dioecesi, cedendum perpendit.*

13) ADAMVS BREMENSIS Hist. Eccles. Lib. II. c. 103. *Nam & claustrum renouauit, & Canonicis mensam ipse primus instituit. Prius enim cum praebenda fere tenuis videretur, triginta conuiuia, quae Libentius Episcopus dari per annum statuit, adiectis ex sua parte quibusdam decimis, ita ordinauit, vt albus detur fratribus panis, vltra solitam annonam, quotidie: In dominicis vero diebus, vnicuique duplex mellitae copia. Nam & vinum dari fratribus,* CONTRA NATVRAM SAXONIAE, *disposuit.*

14) Ita e. g. in Hildesheimensi Ecclesia quam stricta fuerit disciplina claustri describit ANNAL. SAXO ab ECCARDO editus An. 1044. *Hactenus Hildesheimensis Clerus tam districta religione obsequio Dei se mancipauerat, vt in professione Canonica, districtione gauderet monachica. Nam vt taceatur, quam seuere animaduertebatur, si quis choro, mensae, dormitorio non dico deesse sed tardius abesse, nisi aut graui necessitate irretitus, aut licentia animatus praesumserat; scholaris disciplinae iugo absoluti, arctiori habena in claustro fraenabantur, & quotidianam scripturam Decano praesentare, Euangelium cum lectione, cantum quoque, ipsos etiam psalmos reddere exigebantur, vt timidius in claustro, quam in scholis manum ferulae subducere viderentur.* Mox dolet, illam seueritatem sub Episcopo Azelino laxatam esse. *Haec censura claustri vsque ad huius Azelini XVI. Praesulis tempora permansit. Eo praesidente irrepsit ambitiosa curialitas, quae dum in victu lau-*

HENRICVS III. & fublato communi conuictu, fua cuilibet portio (Praebendam vocant) adfignata. 15 Veftiri etiam ornatius curae fuit. 16 Ita paulatim Collegia Canonicorum ipfam illam regulam, a qua nomen habuere, paffim antiquarunt, atque ad praefentem vitae modum tranfierunt. Ab obitu Henrici labefactari coepit vis Imperii, & pro communi illo in Rempublicam ftudio, plus quam ciuilia bella fucceffe-runt. Mihi curfum hic inhibere vifum eft, & imitari nauigantes, qui vbi inhorrefcere coelum vident, incumbunt remis, atque annituntur ad littus, vt ingruenti fefe tempeftati fubducant.

tior, in veftitu mollior, in omni cultu accuratior, amari maluit, quam timeri, difciplinae mollito rigore clauftri, clauftra laxauit.

15) ANN. SAXO ECC. ad An. 1054. de Hedilone, Epifcopo Hildesheimenfi: *Ipfe praebendas fratrum, determinato non comprehenfas numero, ad certum numerum, L. fcilicet, redegit, & vt fecundum regularem inftitutionem, aequa omnibus portio daretur, quod hactenus confuetudo non habebat, banni fui auctoritate firmauit.*

16) Vid. Verba ANNAL. SAX. not. 15. prolata. Idem & antiquum veftiendi morem ita defcribit ad An. 1044. *Delicatioris etiam veftitus tam nulla illis erat cura, vt gulas, quibus nunc ardet Clerus, nefcirent, linguas pelliciales, ac manicas non pallio, fed nigrato panno ornarent; linguas autem Clauftralium fuperpelliciarum, non minus quam tunicarum equeftrium, fibularent.* Gulae, quarum Auctor meminit, vocantur pelles rubricatae murium: *linguae pelliciales* funt veftimenti genus ex pellibus.

IN-

INDEX RERVM.

Prior numerus Librum, posterior Paragraphum, tertius Paginam denotat, n. Notas.

Hh B.

B.

G.

H.

I.

Iohan-

Mil-

P.

Poppo,

Con-

V.